A *Pauſ. de ludis Olympicis* ſic ait: Duo certandi equis genera, Synotides & Celetes. Synotis erat biga à duobus equis: Celes ſingulari equo currebat. Acceſſerunt & alia duo, κάλπη καὶ ἀπήνη, quæ poſteà decreto Eleorum antiquata ſunt. Calpe certabat equabus, ita ut curſum extremum aſſeſſores ipſi deſiliendo apprehenſis manu habenis perficerent. Deinde maribus utebantur equis. Apene mulas jungebat: quod animal execrabile habebant, nec in terra illa naſci poterat, cùm circa vel frequens earum fœtura eſſet.

Præmium, Corona.

☞ *Quæ ſingulorum fuerint præmia, vide alibi.*

MOTUM. TUM

Ante Ludos. Cujuſmodi eſt,

Invitatio ad ludos.

Fuerunt ludi Seculares, ut Feſtus atteſtatur, in honorem Apollinis & Dianæ inſtituti centeſimo quoque anno, clamante præcone: Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque viſurus eſt: nam ſeculum C. continet annos. *Capitolinus.*

Exercitatio athletarum.

B Certaturi ante omnia per aliquot dies ſeſe exercebant majore, quàm poſteà, labore: verbi gratia, curſu certaturi, in arena cum ocreis per aliquot dies currebant: ut poſteà ſoluti, tanquam compedibus liberati, majorem obirent operam. Item ſaltu certaturi, manibus ponderibus oneratis aſſueſcebant. Præterea carne veſcebantur bubula, quæ fortiores redderet: abſtinebant à coitu. *Philoſt. de Athletis.*

In Ludis. Conſideratur

Pompa Ludorum.

Plut. in com. de Divit. ſtudio, & de Oſiride, oſtendit, hanc fuiſſe priſcorum in ludis ſolemnibus pompam, ut primo loco duceretur amphora vini, & clematis, id eſt fabæ genus: poſt aliquis hircum trahebat: deinde nucum ſportulam geſtabat alius: poſtremo loco Phallus ferebatur, hoc eſt, effigies obſcœni membri virilis.

Olim inquilini, & hoſpites Athenis ludis Popularibus in pompa incedebant, navim geſtantes: unde quoties hoſpitem, non civem ſignificabant, σκάφην ἢ σκαφηφόρον appellare conſueverant. Proinde vulgò ſic minitabantur, ποιήσω σε συστομώτερον σκάφης, id eſt, Reddam tibi os occlu-

C ſius ſcapha. Etenim iis, qui in Rep. vivunt non ſua, multa ſunt muſſitanda. Nam uti non convenit in aliena civitate curioſum eſſe, ita nec tutum eſt liberioris eſſe linguæ. *Eraſ. in adag.*

Rom. olim velabant loca, qua veheretur pompa ſacrorum. Cauſam tradit Verrius Flaccus apud *Macrob. l. 1. Saturn. c. 6.* qui ſcribit, quum P. R. peſtilentia laboraret, eſſetque reſponſum id accidere, quòd dii deſpicerentur: anxiam urbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum, eveniſſeque, ut Circenſium die puer de cœnaculo pompam ſupernè deſpexerit, & matri narrarit, quo ordine arcana pilenti, quod vehiculi genus eſt, compoſita vidiſſet. Qua re Senatui nunciata, tunc placuit loca velis contegi, qua pompa ſequeretur. Ac ita ex illo peſte ſedata, puer, qui ambiguitatem ſortis abſolverat, prætextæ geſtandæ munus impetravit. Ambiguitas autem oraculi fuit in verbo, Deſpicerentur: nam interpretabantur, deos & cæremonias negligi: quum tamen oraculum intelligi vellet, deos deorſum verſus aſpici, quod nefas erat, & ad pollutionem ſacrorum pertinebat. *Polyd. l. 6. c. 11. de rer. invent.*

D *Sortitio Athletarum.*

Lucianus in dialogo, qui Erotinus, ſive de Dilectione inſcribitur, monſtrat, quonam modo ſortes athletis obveniebant, quomodove partes ad certamen jungebantur. Verba ipſa hæc ſunt: Urna argentea ſacra Apollini in medio aderat, ubi ſortes inſcriptæ erant magnitudine fabæ: hìc in duabus A. ſcribebatur, in duabus B. in duabus C. & ſic deinceps. Veniebant certaturi, Jovi voventes, ut idoneum, & facilè comparem ſortirentur: deinde ſuam quiſque educebat literam. Miniſter dei ibi aſſiſtens, antequam legerentur, ſortes accipiebat: deinde eos conferebat ad ludum, ut illi quibus A, utriſque evenerat, ſimul pugnarent: & ſic de aliis. Si autem fortè impar numerus erat, illius, qui ſine ſocio remanebat, (quem ἔφεδρον, quaſi inſultorem & inſcenſorem dixere) litera commiſcebatur cum aliis comparibus: ut qui ſibi fortè eveniſſet, expectaret, ut ille priùs cum compare ſuo pugnaret; poſteà ipſe conſurgens, cum eo certaret. Magnaque athletæ hæc felicitas judicabatur, & victoriæ certa pollicitatio, ut integer viribus congrederetur cum jam laſſo ac feſſo.

Agon, Congreſſio Athletarum. E

PAUSANIAS ſcribit, Dioreum athletam aconiti, id eſt, ſine pulvere & labore Pythia viciſſe: Heraclidem verò apud Olympia, Pancratio, quòd neminem parem, cum quo congrederentur, inveniſſent, cedentibus ob metum adverſariis. Plinius etiam dicit, Dioxippum viciſſe Olympia aconiti: Nemea verò coniti. Hic ætate fuit Alexandri M. mortemque ſibi conſcivit. Antiquus enim mos athletis erat, ſpargi priùs pulvere corpora. *Ovid. de Acheloi pugna.*

Inque fulvæ tactu flaveſcit arena.

Martialis:

— *Et flaveſcit aphe.*

Agonothetarum Locus, Officium,

Spectatorum Locus, Applauſus, Silentium.

Poſt Ludos.

Iudicium de Athletis.

Corona, ἆθλον.

Victores ſacrorum ludorum Hieronicæ & Paradoxi appellabantur, quaſi opinione & ſorte hominum majores.

Convivia.

Pompa, Comitatus, Deductio, Triumphus, Statua. F

☞ *Vide Tit. Statuarum, Comitatus & Occurſus honorifici, ſub Fortuitis.*

LUDI OECONOMICI.

☞ *Vt domus Vrbis pars eſt, ita Ludi Politici iidem quoque Oeconomici eſſe poſſunt. Ex loco proinde Ludorum Politicorum quædam huc transferri poſſunt: Vrbanitatis itidem & Scurrilitatis. Ludendo ſcilicet ſeria hucuſque tractaſſe ſatis ſit.*

Plut. l. 1. ſympoſ. Problem. 1. non inſcitè duo tradit eſſe eorum, quæ ad cœnas & convivia parantur, genera. Unum quidem eſt eorum, quæ ſunt neceſſaria, ut ſunt vinum, cibi, opſonia, veſtes, ſtragulæ, menſæ, &c. Alterum eſt eorum, quæ ſunt, ἐπεισόδια τῆς ἡδονῆς ἕνεκα, id eſt, voluptatis gratia introducta, ut ſunt ἀκροάματα, θεάματα, γελωτοποιοί, auditu jucunda, ſpectacula, mimi, hiſtriones, quibus ut præſentibus delectantur convivæ, ita abſentibus citra moleſtiam carent, neque convivium eo nomine tanquam imperfectum culpant. Ludi à nonnullis ita dividuntur, ut alii dicantur conſiſtere in dictis, ſive verbis, hique ad aurium delectationem pertinent, ἀκροάματα, joci: alii in factis, ſive ge- G ſtibus, ludique propriè dicuntur, & meo judicio θεάματα ſpectacula, quandoquidem ſunt oculorum oblectamenta. *Gulielm. Stuckius l. 3. Antiq. Convival. c. 22.*

Romæ moris fuiſſe dicit Plutarchus, ut Platonis Dialogi, qui rem fictam & fabuloſam tractant, in cœnis, animi ludique cauſa, agerentur: quos pueri facillimos ediſcebant, ut memoriter recitarent, ſimulque actionem adhiberent perſonarum argumenti moribus congruentem, vocem ſcilicet conformarent, geſtus & affectiones verbis conſentaneas reprimerent. Talia, dicebat, viros graves & probos mirum in modum probaviſſe: effœminatos verò, & quibus inſcitia, & ruſticitate delibutæ erant aures, quos dicit Ariſtoxenus bilem vomitione rejicere, exploſiſſe. *Lib. 7. Conviv. q. 8.*

ANTONIUS HELIOGABALUS gladiatores ante convivium pugnantes ſibi frequenter exhibuit. Stravit ſibi triclinium in ſummo luſorio. Et dum pranderet, noxios & venationes ſibi exhibuit. Idem quadrigas Circenſium in tricliniis, & in porticibus ſibi ſemper exhibuit pranſitans, & cœnitans, convivas omnes agitare cogens, nonnullos honora- H tos jam Imperatori. *Lamprid.*

AUGUSTUS Cæſar aleæ rumorem nullo modo expavit, luſitque ſimpliciter, & palàm oblectamenti cauſa, etiam ſenex, ac præterquàm Decembri menſe, aliis quoque feſtis, profeſtiſque diebus; nec id dubium eſt, autographa quadam epiſtola: Cœnavi, ait, mi Tiberi, cum iiſdem. Acceſſerunt Vinitius & Silius pater. Inter cœnam luſimus γεροντικῶς, & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quiſque canem, aut ſenionem miſerat, in ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerit. *Hæc Suet.* Quorum verborum vim, & luſum doctè explicat Philippus Beroaldus. Aliis diebus luſiſſe ait Auguſtum, præterquàm Decembri: quo, teſte Macrobio, propter Saturnalia illicita erat alea. Cur verò γεροντικῶς, ſenili modo? Quoniam talorum & teſſerarum luſio ſenilis eſt, dicente apud Ciceronem Catone: Nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant & teſſeras. Interea jactabant talos, tam manu, quàm orca, ſeu fritillo, in tabulam aleatoriam, unde jactus diverſi ſequebantur: vel damnoſus, qui Canis,

κύων,

A κύων, undè à Perſio damnoſa canicula, & damnoſi canes vocantur: & Senio à ſenario dictus, quamvis hic nonnunquam lucroſus ſit, ut propterea à Perſio dexter dicatur, vel felix, qui Veneris nomen obtinuit. Eum intellexit *Horat.* inquiens:

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

AUGUSTUS Cæſar ſpectavit ſtudioſiſſimè pugiles, & maximè Latinos: non legitimos atque ordinarios modò, quos etiam committere cum Græcis ſolebat; ſed & catervarios oppidanos inter anguſtias vicorum pugnantes temerè, ac ſine arte. Univerſum denique genus operas aliquas publico ſpectaculo præbentium, etiam cura ſua dignatus eſt. Athletis & conſervavit privilegia, & ampliavit. Gladiatores ſine miſſione edi prohibuit. Coercitionem in hiſtriones, Magiſtratibus in omni tempore & loco lege vetere permiſſam, ademit, præterquàm ludos & ſcenam: nec tamen eò minùs aut xyſticorum certationes, aut gladiatorum pugnas ſeveriſſimè ſemper exegit. Trojæ ludum edidit frequentiſſimè, magnorum, minorumve puerorum delectu: priſci, decorique moris exiſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere. In hoc ludicro Cajum Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum, aureo torque donavit: paſſuſque eſt

B ipſum poſteroſque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Aſinio Pollione oratore graviter invidioſèque in curia queſto Aſſernini nepotis ſui caſum, qui & ipſe crus effregerat. Circenſes ex amicorum ferè libertorumque cœnaculis ſpectabat, interdum è pulvinari. Et quidem cum conjuge ac liberis ſedens, ſpectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat: petita venia, commendatiſque, qui ſuam vicem præſidendo fungerentur. Verùm quoties adeſſet, nihil prætereà agebat: ſeu vitandi rumoris cauſa, quo patrem Cæſarem vulgò reprehenſum commemorabat, quòd inter ſpectandum, epiſtolis libelliſque legendis ac reſcribendis vacaret; ſeu ſtudio ſpectandi, ac voluptate, qua teneri ſe neque diſſimulavit unquam, & ſæpè ingenuè profeſſus eſt. *Sveton.*

ALEXANDER Mammeæ non ſcenicis voluptatibus ſuper cœna capiebatur, ſed coturnicum certaminibus, & gallinaceorum, aut catuli & porcelli. Oblectabatur & palumborum frequentia, ut xx. millia uno tempore habuiſſe dicatur. *Sabellicus lib. 6. Enn. 7.*

PHILIPPUS Vicecomes, incolumi adhuc oculorum lumine præditus, mirificè adoleſcentium ludis oblectatus fuit. Deſpe-

C ctabat enim libentiſſimè adoleſcentium pila ludentium, aut luctantium certamina, obducto ad feneſtram ſpeculari, ut ludentes eum ſpectare neſcirent, cùm tamen adeſſe crederetur. Inde enim eorum formæ decus, explicatos artus, animique vigorem inſpicere, & quos ex ejus exercitationis indole maximè probaſſet, ad menſæ cubiculique miniſteria deligere erat ſolitus. *Iovius in Philippo.*

INHONESTOS, INDECOROS,
INOFFICIOSOS, NUGACES, MIMOS ODIT,
negligit, contemnit.

ACROAMATA.

AGESILAUS, cùm invitaretur ad audiendum eum, qui vocem luſciniæ referebat: Ipſam, inquit, audivi frequenter. *Plut. in Apoph.*

SALTATIONEM.

D MINYADES, Leucippe, Ariſtippe & Alcithoe (cum aliæ omnes mulieres ac virgines furore quodam inſano ſaltarent in Bacchi laudem) hæ ſolæ choream detrectaſſe dicuntur: eam nimirùm ob cauſam, quòd maritos ambirent. *Ælianus lib. 3. de Var. hiſtor.*

FRIDER. III. Imp. dicere ſolebat, febricitare ſe malle quàm ſaltare. *Æneas Sylv. lib. 1. Comm. in Panorm.*

LUDUM, ALEAM.

Cic. lib. 2. Epiſt. ad Attic. 20. de ſeipſo ait: Volo ames conſtantiam meam: ludos Antii ſpectare non placet. Eſt enim ὑποσόλοικον, cùm velim vitare omnium deliciarum ſuſpicionem, repentè ἀναφαίνεσθαι non ſolùm delicatè, ſed etiam ineptè peregrinantem.

Japonii omne genus aleæ, ut furtum, averſantur. *Joannes Metellus.*

☞ *Pete ex Loco de Alea pleraque.*

Ludicra Eutrapelia. E

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LUdicra vocantur res quæcumque joculares, & non ſeriæ. ἄθυρμα, παίγνιον Græcè, & παιγνιώδης ludicer, jocularis. Hinc ars ludicra, quæ eſt hiſtrionia. Lege autem XII. Tabul. cautum erat, ne in quatuordecim gradibus ſederet, qui artem ludicram feciſſet.

Ceterùm cùm omnes motus geſtuſque externi, vel ſeriò fiant, vel ludi jocive cauſa, in utriſque moderatio adhiberi poteſt, quæ ad virtutem modeſtiæ pertinere dignoſcitur. Tamen ut ſit diſtinctio inter eam modeſtiam, quæ eſt in ludicris, & illam quæ eſt in ſeriis, hæc proprio nomine vocari poteſt εὐτράπελοι, quaſi εὔτροποι, ut ait *Ariſtot. lib. 4. Ethicor. c.* 8. id eſt, flexibili ac verſatili ingenio: quia dicta & facta quædam dextrè ad recreationem animi convertere norunt.

Eſt igitur Eutrapelia ſpecies modeſtiæ. Undè definiri poteſt, ut ſit modeſtia in ludicris: Vel hoc modo: Eutrapelia eſt virtus, quæ ludis & jocis rationis modum imponit. Aliter hoc F nomine utitur Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. nimirùm pro ſcurrilitate; facilis enim in jocis ad ſcurrilitatem lapſus.

* EUTRAPELIÆ MATERIA,
ET FORMA.

Materia hujus virtutis ſunt actiones ludicræ, ſive in factis, ſive in dictis: ſunt enim iſtæ actiones liberæ, ut conſtat, & per ſe non ſunt illicitæ, ſed indifferentes; ac proindè capaces ordinis recti vel pravi, à ratione imponendi, in quo ratio virtutis & vitii conſiſtit.

Forma quam hæc virtus ludo inſerit, eſt congruentia ad perſonam ludentem, tum in ſe ſpectatam, nimirùm ut ejus dignitati non repugnet; tum in ordine ad alios, & ad locum, tempus ac negotium præſens. Facit enim, ut ludus ſit congruens perſonæ cum iſtis circumſtantiis ſpectatæ: ſicut modeſtia reliquos motus & geſtus convenienter perſonæ diſponit.

* QUÆ CAVENDA CIRCA ISTA.

Tria hìc cavenda monet *Leſſius lib. 4. cap. 4. dub. 14. n. 96.* G *de Iuſtit. & Iure.* Primò, ut abſit omnis injuria, obſcœnitas & illiberalitas.

Secundò, ne nimis in ludicra ſimus profuſi. Ita *Cicero*: Ipſum genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet.

Tertiò, ne iſta adhibeantur in rebus ſacris, v.g. in concionibus; neque per ſacra exerceantur, quod juxta *D. Thomam* innuit *S. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 23.* Nam licèt interdum honeſta joca ac ſuavia ſint, tamen ab Eccleſiaſtica abhorrent regula. ☞ *Quære locum de Concione & Ioco.*

* USUS LICITUS.

☞ *Vide Locum de Ioco.*

LUDICRA TRACTARE.

☞ *Vide* Exercitatio.

☞ *Homo ad agendum natus, ne ludendo quidem ab actione immunis eſſe poteſt. Duplex ergo negotium perpenditur: alterum quod tanquam ſerium vitat, & eatenus otiari dici-* H *tur, & ad Otii locum referri meretur: alterum verò, quod tanquam ludicrum ſectatur, & eatenus inter Negotioſos hoc loco cenſetur.*

RERUM, SIVE INSTRUMENTORUM, QUIBUS
luditur, ratione habita.

Sic ſolemus LUDERE v. g.

Digitis.

Digitis ſortiri, veterum ludus, quum duo clauſis manibus, vocando certum numerum, ſubindè digitos porrigunt. Verbi cauſa, ego tres digitos explico, tu totidem: ipſe quatuor nomino, tu verò ſex: ita tu qui numerum vocando divinaſti, jam viciſti. Et quia digiti ita explicati ſubitò apparent, idcircò per metaphoram, Micare digitis dicitur. Varro: Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. Italis ludus notus eſt, vulgòque *La mora* appellatur, quaſi μωρῶν, id eſt, ſtultorum ludus; quòd digitorum jactatio ſignum ſit levitatis: ideò virum gravem micare non decet. An potiùs quòd Maurorum hic ſit ludus. *Polidor. lib. 2. c. 13. de Rerum Invent.* Ludunt hoc ludo apud Nonnum *lib. 33.* Hymeneus & Cupido.

Yyy *Pila,*

A

Pila, Folliculo, Sphara.

Apud Græcos frequens ludus erat ſphæræ, qua qui viciſſet, rex dicebatur & imperabat; victus verò, aſinus, & victoris mandata exequebatur; cui Sphæromachia nomen, quo in gymnaſio juventus exerceri conſueverat. Harpaſtum volubili rotunditate in ſolo jactatur. Ludus, *Polluce auctore*, fiebat, ut juvenes in geminas diviſi turmas, intra lineas ſeu metas conſiſterent, harpaſtoque poſito in medio, quiſque contenderet, ut intra gyrum alterius lineæ immitteretur: quod ſi contingeret, victores erant.

DIONYSIUS Syracuſiorum tyrannus, pila & folliculo aſſiduè luſiſſe dicitur, ut amiſſas vires recuperaret. *Alex. ab Alex. lib.3. cap.21.*

L. CÆCILIUS Epirota, qui primus Romæ Grammaticæ ludum aperuit, primuſque Virgilium alioſque novos Poetas prælegere cœpit: poſt multos labores in ſchola impenſos, cum Cæſare pila ludere conſuevit, ut animum literis defatigatum paululùm recrearet. *Macrob. & Plut.*

B AUGUSTUS Cæſar pila & folliculo animum perſæpè recreaſſe ſcribitur. *Svet.*

Pila juvenum luſus erat frequens, in Martio campo fieri ſolitus, exque his altera paganica, trigonalis altera, in qua ſiniſtræ uſus præcipuus traditur. Namque illius impulſu magis quàm dextræ ludus agebatur, cujus erat uſus vel maximè in corporis motu & agilitate, ut ſciret aptè pilam jacere, atque excipere, modò incurrere, modò recurrere. *Alex. lib.3. c.21.*

Arcu, Baliſta.

ROBERTUS Hieroſolymorum & Siciliæ Rex, philoſophus ſummus, ſingulis diebus ſtatis horis, tum aliis exercitiis, tum præſertim baliſtæ ludo operam dabat, in quo genere exercitationem ſanitatis ergo concedebat, animo verò jucundiſſimam recreationem à gravioribus negotiis præſtabat. *Petrarcha de Otio.*

ALFONSUS ſenior Calabriæ dux, Alfonſi junioris avus, vir literarum & Reipublicæ adminiſtrationis ſtudioſiſſimus, & in primis bellicis rebus clarus, poſt graviſſimarum rerum curas
C meridianis horis, arcu ſe cum junioribus relaxandi & refocillandi animi gratia exercebat. *Pontifex lib. de Principe.*

Per Turcica oppida terrei parietes fiunt, quos nunquam indurari ſinunt, ſed molliore terra, & recente aggeſta conſervant, quoniam perpetuò aliqui adveniunt arcubus jaculari ſoliti. Verùm non in longum ſpatium ſagittas emittunt, ut ligneis arcubus fieri ſolet, nam breves ſunt eorum ſagittæ, ſed ex vicino loco. Qui ſcopi cuſtodiam habet, ſingulis diebus illum rigat, ut terra mollior reddatur. Sex paſſibus dumtaxat à ſcopo abſunt, qui arcum intendunt; ſed ſummis viribus adnituntur, ut terreum murum penetrare poſſint. Proximè ſcopum adeſt quiſpiam poſt aſſerem latitans, qui ſagittam emiſſam extrahit, & illam denuò rejicit. Quem jaculandi ſatietas jam tenet, arcum juxta ſcopum appendit, & perſoluto pro more pretio abit. Vulgò tales ſcopi ſeu terrei muri per Turcica oppida publico aliquo loco habentur, quò Turcæ exercitii gratia conveniunt, centieſque ſagittas emittunt.

☞ *Vide* Arcus, *in littera* A.

Diſco.

Diſcus pila fuit ænea, quæ brachiorum viribus excepta, &
D in altum miſſa, exercebat corpora animoſque, ita ut quantum quiſque viribus præſtaret, maximè eniteret. Namque is fortior & præcipuo robore habebatur, qui illum ultra ſignatum reſciſſet ſcopum. Halteres erant circuli figura non ſphærica, ſed dimidia longiore, in quibus digiti inſeri poſſent, quos facilibus brachiis rotabant: & nunc jactando, nunc rotando ludus committebatur. Fuit Petauri ludus admirationis præcipuæ, cùm per circulos quiſpiam veloci curſu tranſvolat corpore ita librato, ut circulum non offendat: undè petauriſtæ ludiones dicti. Follis autem ludus remiſſior & ignavior habitus: eo enim ſenes imbelli ætate ludere ſolebant. *Alex. lib.3. c.21.*

☞ *Vide paulò ante, Tit. Ludi Politici.*

Armis.

Apud Germanos frequens ludus erat, ut nudi juvenes inter gladios & infeſtas frameas ſe invicem jactitent, illaſque ſaltu tranſiliant illæſi. *Alex. lib.3. cap.21.*

CALCULIS. LATRUNCULIS.

* Latrunculorum ludus, quem Calculorum ludum *Seneca* appellat, & latronum prælium alii, atque juxta *Martialem*; E

Cum gemini inter ſe Reges, albuſque nigerque
Pro laude oppoſiti certant bicoloribus armis.

Quibus adſunt duæ reginæ, quatuor equites, ſedecim pedites, quatuor ſatellites, & totidem centuriones; magnatibus uſitatus, undè & Belgis eſt ludus regius etiam vulgari appellatione. *Martial.* de illo ita iterùm ſcribit:

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

* De eodem *Alexand. ab Alex. lib. 3. c. 22. Genial. dier.* Ludus, ait, Calculorum veteribus præcipuus fuiſſe traditur. Hi enim in duas diviſi turmas erant, colore diverſi, quorum alii milites, alii hoſtes. Horum luſus erat, ut turmis inſtructis, veluti qui congredi acie parant, hinc inde ſub hoſtium imagine procederent, ac præſcripto fine, quoad quiſque progredi debeat, ita cavere oportebat, ut dum hoſtem invadere quiſque nititur, alterius non pateat incurſibus.

* *Turnebus in adverſariis ſuis*, non fuiſſe alium hunc ludum cenſet, quàm ut duo concolores unum diſcolorem includerent, & perimerent. Fortaſſis reſpexit ad illud *Ovid. lib.3. de arte aman.* F

Cautaque non ſtultè latronum præmia ludat:
Vnus cum gemino calculus hoſte perit.
Bellatorque ſuo prenſus ſine compare bellet
Æmulus, inceptum ſæpè recurrat iter.

APION Alexandrinus ſe ex Creſone Ithacenſe audiſſe dicit, cujuſmodi eſſet luſus Procorum apud Homerum. Octo ſupra centum cum eſſent proci, diſpoſuerunt calculos inter ſe contrarios, pares paribus, tot numero, quot ipſi erant, opponentes: atque ſic quinquaginta & quatuor ex utraque parte ſtatuebantur: ſpatium quod in medio erat, vacuum relinquebatur, in quo unum ponebant calculum, quem vocabant Penelopen: hanc ſcopum faciebant, ſi quis calculo percuteret. Poſteà cui ſors accidiſſet, is ictum in hanc intendebat: ſi quis verò illam attigiſſet, ulteriùſque propuliſſet, ſuum calculum in loco projectæ, expulſæque Penelopes, & in quo illa priùs ſteterat, deponere oportebat: atque rurſus cum Penelopen, in quo loco ſecundo commorata eſt, firmarit, ſecundum projicere calculum. Quòd ſi quis aliis intactis ſolam illam ſæpiùs conſequeretur, erat victor, multamque habere ſpem jubebatur, ſe Penelopen eſſe ducturum. Eurymachus ſæpè vicerat hoc ludo, quare maximè G omnium Penelopes conjugium ſperabat. *Athen. lib.1. cap.9.*

Ludi genus, quo calculis in tabula luſoria, id eſt, fritillis & alveolis luditur, inventum olim circiter annum orbis cond. ter milleſimum DC. XXXV. à quodam viro ſapiente nomine Xerxe, qui ita tyranni ſævitiam coercere metu, ac eum documento monere volens, oſtendit, majeſtatem ſine viribus, hominumque adminiculis, parùm admodùm valere, atque tutam eſſe; quando per iſtiuſmodi ludum ſatis patebat regem facilè oppreſſum iri, niſi invigilaret, à ſuiſque defenderetur. Vocant hodie hoſce calculos ſeu ſcrupos furunculoſve, quibus præliando ludimus (eſt enim certamen inſtar prælii) ſcacos, à ſcandendo forſitan dictos, quòd calculi, quum moventur, in alteram adverſariam partem ſcandere videantur. *Euripid.* πεσσοὺς πολυμόρφους vocat. *Polyd. lib. 2. cap. de rer. Invent.*

Eurip. Iphigenia in Aulide, introducit Proteſilaum & Ajacem latrunculis ſeſe oblectantes, ubi Chorus inquit:

Κατεῖδον δ' δύ' αἴαντε συνέδρω,
Τὸν οἰλέως Τελαμῶνός τε γόνον, H
Τῆς Σαλαμῖνος στέφανον,
Πρωτεσίλαόν τ' ἐπὶ θάκοις
Πεσσῶν ἡδομένους μορφαῖσι πολυπλόκοις.

HERACLITUS Epheſius, cùm à negotiis gravioribus quieſceret, aſtragalis luſiſſe fertur. *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21.*

ΤΑΒΛΑ, Tabula, nomen ludi. Hanc Palamedes ad Græci exercitus delectationem magna eruditione atque ingenio invenit. Tabula enim eſt mundus terreſtris, duodenarius numerus eſt Zodiacus. Ipſa verò area, & ſeptem in ea grana, ſunt ſeptem ſtellæ planetarum. Turris eſt altitudo cœli. Undè bona & mala. *Svidas.*

Ludus Calculorum veteribus præcipuus fuiſſe traditur, qui & Latrones dicti. Hi enim in duas diviſi turmas erant colore diverſi, interdum etiam gemmei, quorum alii milites, alii hoſtes. Horum luſus erat, ut turmis inſtructis velut qui cogredi acie parant, hinc inde ſub hoſtium imagine procederent: ac

A præſcripto fine, quoad quiſque progredi debeat; ita cavere oportebat, ut dum hoſtem quiſque invadere nititur, alterius non pateat incurſibus. *Alex. l.3. c.21. Martialis:*

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Seneca: Latrunculis ludimus.

ΠΟΛΕΙΣ παίζομεν, Civitates ludimus. Luſus genus quoddam eſt, in quo calculis ludebatur olim, quos antiquitùs πόλεις, id eſt, urbes vocabant; neoterici χώρας, hoc eſt, regiones appellare cœperunt. Uſurpavit Adagium *Cratinus in Fugitivis. Julius Pollux libro de rer. vocabulis*, genus luſus deſcribit his verbis. Qui complurium calculorum dicitur luſus, latrunculus eſt, regiones in ſe continens in lineis ſitas. Et latrunculus quidem ipſe civitas appellatur: cæterùm unuſquiſque calculus canis. Porrò cum calculi ſint duobus diſtincti coloribus, luſus hæc ars eſt, ut comprehenſis duobus calculis unicoloribus, eum, qui diverſi coloris eſt, tollas è medio. *Eraſ. in prov. Civitates Ludimus.*

P. MUTIUS Scævola Jurecoſſ. (non augur ille, ut Valer. Max. opinatur) pila & duodecim ſcrupis, atque olea optimè luſiſſe
B dicitur. Tanta in illo 12. calculorum luſu diligentia fuit, ut cum aliquando calculum promoviſſet, promoviſſetque victus, rus profectus, repetito totius certaminis ordine, quoquo loco erraſſet, recordatus, redierit ad victorem, & errorem ſuum indicarit, iſque ita factum confeſſus ſit. His ludis animum è forenſibus negotiis occupatum reficiebat. *Rutilius in ejus vita, ex Val. Max. l.8. c.8.*

Gothi & Sveones Ludo ſcachorum dediti, ſic ut eo juventutis animos explorent. ☞ *Vide Tit. Prudens præcognitio, providentia, prædictio futurorum bonorum vel malorum, tam ſuorum quàm alienorum.*

Volaterran. ait, Magiolinum Florentium fuiſſe in Latrunculorum ludo adeò exercitatum, ut memoriter per alium luderet, minimè reſpiciens, adverſario interim diligenter advertente. *Raviſius.*

Talis.

Aſtragaliſmus, Talarius ludus, apud veteres Græcos & Latinos in frequenti fuit uſu, & honeſtatis nomine pueris quoque
C conceſſus (hinc illud Lyſandri, Pueros talis, viros verbis decipiendos) fortè quia propter laterum paucitatem jactus pauciores ludum diutiùs prorogarent, minuſque pecuniæ rederent. Quo nomine Aleam, & teſſerarum ludum legibus vetitum conſtat. Talus, Græcis aſtragalus, ex animalium biſulcorum ſuffraginibus, quia corpus ſex conſtabat lateribus: quorum ſuperius & inferius (quæ longitudinis eſſe videntur) propter rotunditatem jactibus inepta ſunt, cum nunquam in illa procumbat talus: reliqua quatuor jactibus apta. Eaque propter cùm teſſeræ, ſex conſtent lateribus, tali quatuor tantùm habent. Naturæ imitatione ars conſimiles effinxit, pro diverſitate materiæ aureos, eburneos, oſſeos, ligneos. Latera ipſa per ſe ſatis conſpicua, propter diverſitatem à natura impreſſam, ut notis aliis vel figurarum, vel numerorum, ut in teſſeris aut calculis non fuerit opus. Etſi *Alexander* figuris latera inſignita cenſeat. Illorum quæ nomina, quæ ſignificatio fuerit (numerum autem ſignificabant) dubitabile eſt, propter graviſſimorum auctorum contrarias opiniones. Quas uti ſeria agentem in re ludicra conciliare velle ridiculum foret: ita ludendo explicare conari nil prohibet. σπουδαίων χόλην quoque fructuo-
D ſam, & otium negotioſum eſſe debet. Cùm ad Idus Oct. anni LXX. cum Baſil. Amberbachio, magni Bonifacii F. I. C. clariſſimo, affine conjunctiſſimo, antiquitatis admiratore & obſervatore ſummo, rus deambularemus, ſocerum noſtrum Jacobum Rudinum Tribunum Baſileenſ. in Riehenſi ſuo ruſticantem ſalutaturi: ut itineris tædium falleremus, de ludo talario inter nos differere cœpimus. *Eraſ. in colloquiis*, eumque ſecutus *Card. l.7. c.37. de Rer. var. & Cælius Rhod. lib.20. c.27. Ant. Lect.* E quatuor lateribus duo, quæ latitudinis eſſe videntur, alterum quidem, quod ſylveſtrem partem animalis, ſive exteriorem reſpicit, Ariſtotelis imitatione Iſchion: internam verò, quæ crus animali oppoſitum, Colon appellant. Illud fortè corrupta voce etiam κύων dicitur, à Latinis Græcorum imitatione, Canis & Canicula: item χῖος, Chius, *Euſtat. & Heſych.* teſtibus: & quia unionis nota fuit, etiam Monas. Colon verò vocis vitio, Cous dici cœpit, ut ſic Chio opponeretur, detorta ab inſulis denominatione: & quia ſenarium denotabat, Græcis Ἑξίτης, Latinis ſenio. Profunditatis autem latera itidem duo. Pronum quidem ternionis, ſupinum quaternionis nomen numerumque tulit: ſed ignavum utrumque, cum nec univerſim, nec ſigillatim valerent, præterquàm in ſola E Venere. Et hæc fert Eraſmi opinio. At *Sab. in Auguſto*, eumque imitatus *Polyd. l.2. c.13. de Invent. rerum, item Alex. l. 3. c.11. Genial. dierum*, de Cane conſentiunt, de reliquis non item. Coum enim vel ſenarii, vel ſeptenarii notam fuiſſe volunt, eundemque Venerem dictum. *Alex.* quoque Venerem Coliada nuncupatam, forſitan à Colo facta denominatione, & tricenarii vim habuiſſe. Pronum ternionem Chium: Supinum quaternionem: Senionem, ſive ut in Svetonii Auguſto corruptè legitur, Seniorem, non à numero Senario, ſed ab ætate ſenili formata voce. Sic ferè Alexander altera duo præcipua ab effictis imaginibus caniculæ atque ſenis, nomina Canis & Senionis traxiſſe putavit. Et hæc de talorum materia, & forma, hoc eſt, laterum diverſitate & ſignificatione. Porrò ludi ipſius forma conſideranda eſt, Aſtragalizontes duo vel plures in abacum talos quatuor jaciebant, conſtituto in jactus certo pretio. Auguſtus *apud Svetonium* ſic ſcribit ad Tiberium: Inter cœnam luſimus ἀγεροντικῶς (vel non more veterum, ſed novo, vel certè ultra quàm conveniret ſenibus) & heri & hodie. Talis F enim jactatis, ut quiſque Canem aut Senionem (malè Seniorem) miſerat in ſingulos talos, ſingulos denarios in modium conferebat: quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat. Et hæc Auguſtus, diverſum à conſueto ludi genus enarrans. At communis quænam fuerit ratio, eſt dubitabile. Polydorus Sabellicum imitatus, ſic ſcribit: Si quis jactando Caniculam vertiſſet, is numum unum deponebat, vel quantum inter ludentes conveniſſet. Qui in altero latere Venerem ſive Coum, ſeptenarium (vel ſenarium) numerum ſignificantem, ſex lucrabatur, & quidquid etiam ex jactu Caniculę depoſitum eſſet. Qui Chium ſive ternarium, tres numos: qui Senionem ſive quaternarium, quatuor lucrabatur, qui propterea dexter nuncupabatur. *Perſius*, quòd dexter ſenio ferret. Scire erat in voto. At rectiùs videtur *Eraſmus* ſenſiſſe, cumq; eo *Cardanus*, inquiens: Quatuor talis ludebant, juxta numerum, etiam laterum aſtragalorum: atque in his ſupina pars & prona nihil commodi aut damni afferebat. Senionem qui jecerat, totidem aut plures numero cogebat in menſam deponere colluſores: Canes verò qui jecerat, ipſe exponebat: collectam ſummam tollebat, qui Venerem jacebat. Erat Venus jactus, cùm quatuor tali ſinguli diverſam ſu- G perficiem exponebant: ſic ut unus Senionem, alter Canem, tertius Supinam, quartus Pronam oſtenderet. Ita *Ovid.*

Quid valeant tali, quo poſſis plurima jactu
Figere, damnoſas effugiaſque Canes.

Et *Martial.* de Venere:

Cùm ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

Itaque jactus è quatuor talorum diverſis faciebus conſurgentis nomen fuerit Venus, non autem lateris tali. Porrò jactus quatuor talorum in univerſim ſunt XXX. Alii quidem univerſales, quando unius jactus omnia latera ſimul valent: alii ſingulares, quando non omnia ſimul, nec eodem modo valent. Univerſales quidem quinque: utputa vel diſſimiles omnes, Venus: vel ſimiles omnes, cùm inutiles Terniones aut Quaterniones: tum utiles Canes aut Seniones. Singulares verò, è quatuor talis ſimiles habebant vel duos, vel tres. Si duos, tum reliqui duo vel ſimiles erant, & prodibant jactus ſex: vel diſſimiles, & ſubſiliebant jactus duodecim. In univerſum itaque XXXV. jactus. E quibus univerſi tres tantùm valent. Venus ſola lucroſa: Canes luſori, Seniones colluſori damnoſi. Et hinc proverbium, χῖος H πρὸς κῷον, de vehementer inæqualibus. E ſingularibus autem qui valuerint, incertum eſt. Sed tamen ſi divinare licet, quemadmodum univerſi canes luſori, ſeniones colluſori erant damnoſi: ita quoque in ſingularibus pari proportione, v.g. ſi quis duos canes & totidem ſeniones projeciſſet, ſibi aliiſque ex equo damnoſus erat: ſi unum ſenionem, aliis: ſi unum canem, ſibiipſi. Terniones & quaterniones ignavi erant. Jam ſi varii jactus inter ſe conferantur, fortè etiam hìc quædam erat certa obſervatio. Ut ſi primus jactus ſenionum, ſecundus canum foret. An huc Steſichorius jactus, quem alii teſtarum ludo, *Cælius ex Polluce* etiam talorum tribuit, & octonarii vim habuiſſe ait. Euripideus quadragenarii erat. *Alexander* etiam Vulturii, & Herculei, & Baſilici meminit. Et hæc tuti deambulantes.

Ab *Euſtathio* proditum, κυβείαν, id eſt, Cuborum luſum, & πεττείαν, id eſt, Peſſorum, à Palamede fuiſſe excogitatum apud Trojam: etiamſi apud Ægyptios id referunt quidam. Quamvis apud illos non tam παικτικὴ, id eſt, luſoria foret ratio hæc, quàm Philoſophica, & ex intimis eruta doctrinæ conceptaculis. Ejus formam & modum proſequitur *Athenæus lib.1.* Nam & apud *Homerum* luſus hoc genere oblectantur proci, & conjugii Penelopes omen captant. *Cæl. l.20. c.14. A.L.*

Talis Apollonius in Argonauticis, quem Cupidinem ludentem facit.

OSTRACIS, CONCHULIS, TESTIS.

ἘΠΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟ'Σ ludus puerilis, in quo ὄστρακον τῶν θαλαττίων κατὰ τοῦ ὕδατος ἐπιπολῆς ἀφιᾶσιν, ἀριθμοῦντες αὐτοῦ τὰ πρὸ τοῦ καταδῦναι πηδήματα. ἐν τῇ ὑπὲρ τὸ ὕδωρ ἐπιδρομῇ· ἐκ γὰρ τοῦ πλήθους τῶν ἁλμάτων, ἡ νίκη τῷ βάλλοντι. Inde verbum ἐποστρακίζειν apud Svidam, ὀστράκοις παίζειν.

Par veræ amicitiæ clariſſimum P. Scipio & C. Lælius, tum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter ſe junctum ſocietate, ut actuoſæ vitæ iter æquali gradu exequebantur, ita animi quoque remiſſioni communiter acquieſcebant. Conſtat namque eos Cajetæ & Laurenti vagas litoribus conchulas & calculos lectitaſſe: idque ſe P. Craſſus ex ſocero ſuo Q. Scævola, qui gener Lælii fuit, audiviſſe ſæpenumerò prædicavit. *Val. l.8. c.8. & Alex. lib.5. c.21.*

De luſu Oſtracorum (quem Oſtracorda Græci vocant) *Iulius Pollux* in hunc ferè modum tradit: Pueri ducta in medio linea, duas in partes ſeſe diſtribuebant, quarum altera intra oſtracum, altera extra dicebatur. Deindè mittente quopiam ad lineam teſtam, utrius partis ſuperior extitiſſet aliquis, hunc inſeſequebantur, qui illi adhærebant, reliquis in fugam converſis. Cæterùm è fugientibus qui comprehenſus eſſet, is conſiderabat, Aſinus dictus, teſtaque projecta dicebat, Nox dies. Nam interior teſtæ pars pice ſublita erat, quæ nocti reſpondebat. Hoc autem luſus genus appellabatur ὀστράκου περιστροφή, id eſt, teſtæ converſio. *Plato l. de Rep.7. & in Phædro videtur meminiſſe. Eraſ. in Oſtraciſmo.*

FOLIIS, FRUCTIBUS.

Κλῆρος ἑρμοῦ, Sors Mercurii. Vetere conſuetudine ſortientes in hydriam folium olivæ conjiciebant, quod Mercurium vocabant, & in ejus Dei honorem primum eximebant. Altera ſors ejus erat, qui Mercurium ſequebatur. *Euripid. in Æolo* conſuetudinis hujus meminit. *Svidas.*

Platagonion, inquit *Pollux*, nuncupatur crotalum, ſiſtrumque, quo utuntur nutrices, dum lenire infantes cupiunt, qui difficiliùs conſopiantur. Addit, Amantes quoque Platagonio luſitaſſe. Hoc verò Græci quidam interpretantes ita accipiunt, eſſe platagonium papaveris & anemones herbæ folia, ἀπὸ τοῦ πλαταγεῖν, hoc eſt, ἠχεῖν, à ſono quem colliſa faciunt: iis ſiquidem periclitabantur, ecquid amaſiis ſuis forent grati, eſſetque affectus mutuus. Siquidem pollici imponentes ea, & indici, mox collidebant: quòd ſi percrepuiſſent, aut ruborem concepiſſent, quo nomine Rhodia vocabant, amari ſe augurabantur: ſin minùs, ut fruſtrati ingemiſcebãt. Idipſum ſignificat *Theocritus.*

Ἔγνων πρᾶν ὅκα μοι μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με,
Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχει ἐξεμαράνθη.

Cognovi vel priùs, quando periclitante me, an amarer abs te, neque telephyllon inſonuit colliſum, ſed vanè molli in brachio conflacuit.

Ubi Telephyllon interpretes eſſe autumant papaveris ramum, cujus foliis intra manum colliſis, ex ſono de amore conjectabant, dictumque putant, quaſi τηλέφιλον, quòd amorem præmonſtret. *Cælius lib.19. c.4. A. L.*

Feſtivus fuit antiquitatis mos. Conſueverant luſitantes pueruli in ſublime Ficos, ſeu Iſchiades, vel uvæ acinos jactare, moxque hiantes ore excipere. *Cæl. lib.18. c.9.*

ὤμιλλα, Omilla, ludi genus, quo qui nucem ita in circulum conjicit, ut in eo maneat, vincit. *Svidas.*

Luſus Nucum quidam talis eſt apud *Athenienſes.* Interrogabat aliquis, nucibus comprehenſis, extenſaque manu, Quantum manu. Si verò erraverit in reſpondendo, ter ſolvit, quot interrogator in manu tenuit. *Svidas.*

Nuces loco aleæ fuerunt pueris Rom. nondum adultis, quibus in Saturnalibus ludere permiſſum: ſicut juvenibus alea reliquo anni tempore vetabatur. *Tranquill.* Auguſtam laxandi animi cauſa cum pueris facie liberali ocellatis nucibus luſiſſe dicit. *Alex. l.3. c.21.* nuces ocellatas, nucleos in Perſicis pomis ſitos eſſe putant, quibus perſæpè ludere noſtrates pueros videmus: dictaſque ocellatas, propter ocellos & foramina quibus muniuntur undique. Neque de amygdala & avellana, ſed de Perſicorum oſſibus eum locum intelligi debere. *Perſius in Satyris:*

Et nucibus facimus quæcumque relictis,
Quum ſapimus patruos.

Nuces autem relinquere, eſt omiſſis ſtudiis & nugis puerilibus ad graviora magiſque ſeria converti. Hinc etiam ortæ illæ dicendi figuræ, Nunquam à nucibus recedere, Redire ad nuces, Nuces abjicere, Nuces intermittere, Nucibus indulgere, Nuces repetere. *Raviſius.*

MUSCIS, AVIBUS.

DOMITIANUS Imp. inter initia principatus, quotidiè ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat: nec quicquam ampliùs, quã muſcas captare, ac ſtylo præacuto configere, ut cuidam interroganti, Eſſetne quis intus cum Cæſare? non abſurdè reſponſum ſit ab Urbio Criſpo: Ne muſca quidem. *Svet. & Eutrop. l.9. c.3.*

ΟΡΤΥΓΟΚΟΠΟΣ ludus quidam eſt, in quo Coturnices in orbem collocant, quarum capita feriunt: & qui in gyro coturnicem proſtraverit, ordine reliquas capit. Qui verò aberrat, tradit alteri coturnices verberandas; idque per vices faciunt. *Svidas.*

Apud Rhodios feſtum (ſive ludicrum foret id) ſolitum celebrari, in quo cornici aggregatio fiebat quædam hordei, & id genus rerum aliarum: unde id, ἡ δὲ τῇ κορώνῃ παρθένος φέρει σῦκα, id eſt, cornici virgo fert ficos. Qui verò ejuſmodi præerant curæ, Coroniſtæ dicebantur, ſicuti in *Lib. de Nominibus Alex. commeminit Pamphilus.* Quæ ab eiſdem præcinebantur, id eſt, τὰ ἀδόμενα, vel τὰ διδόμενα, id eſt, quæ dabantur, Coroniſmata vocabantur. *Cæl. lib.17. A. L. c.12.*

Χελιδονίζειν apud eoſdem, ſacrum Vere celebrari ſolitum, in quo ita concinebant: ἦλθε ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς, Venit, venit hirundo pulchras ferens horas, & annos pulchros. *Ex Theognide 2. de Sacrificiis Rhodiis. Idem.*

Pergami omnibus annis ſpectaculum Gallorum publicè edi ſolitum, ceu gladiatorum, ſcribit *Plin. l.10. c.21.* Sed & Athenis id factitari cœptum, ut auctor *Ælian.* eſt, à Themiſtocle ſuperatis Perſis. Adjicit & in ſermone, qui Anacharſis ſeu de Gymnaſiis inſcribitur, *Lucian.* coturnicum magno ſtudio, non gallorum modò certamina, ibidem ſpectari conſueviſſe. Severi quoque filios Herodianus ſcribit, diſſidere ſolitos puerili primùm certamine edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus. Proditur item memoriæ, Socratem Iphicrati duci animos adjeciſſe, quum ei præmonſtraſſet gallinaceos coram Callia pennis ac roſtro dimicantes. Quam utilitatem agnovit & *Chryſip. in libro de Iuſtitia,* dum Gallorum æmulatione injici nobis ad fortitudinem ſtimulos, & ſubjici calcaria prodidit. *Cæl. lib.16. c.13. A. L.*

Alcibiades coturnicem ſecum fert in concionem. ☞ *Vide Tit. Munificentia honorifica in dandis pecuniis.*

Oſtendit nobis Joan. Euangeliſta, viventem hominem in negotiis perpetuò verſari non poſſe, ita ne aliquando otium attingat. Itaque is ſæpè cum perdice ludebat. Propter quam rem cum eum adoleſcens quidã amator irrideret, arbitratus parùm convenire ſeni homini, qui ſanctimoniæ exemplum atque ſpecimen eſſet, & otioſus cum ave animi laxamentum quæreret: Joannes pendere arcum ab ejus humero conſpicatus, petiit, ut arcum tenderet. Quod cum egiſſet adoleſcens, ſæpiùſque ſagittaſſet, demùm à Joanne dimiſſus, arcum remiſit. Tum Joannes remittendi cauſam quæſivit. Reſpondente autem adoleſcente, arcui funem ſe detraxiſſe, ut cum uti eo neceſſe fuerit, ſagittationi inutilem non inveniat. Tunc Joannes: Et ego, & cæteri honeſto otio interdum relexamur, ut majoribus viribus orationi atque jejunio ſufficere poſſimus. Quod fieri non poſſet ſi ſemper eodem tenore viveremus. *Fulg. lib.8. c.8.*

SIMIIS.

Rex quidam Ægyptius Simias aliquot inſtituit, ut ſaltandi rationem perdiſcerent. Ut enim nullum animal in figuram hominis propiùs accedit, ita nec aliud actus humanos aut meliùs aut libentiùs imitatur. Artem itaque ſaltandi protinùs edoctæ ſaltare cœperunt, inſignibus indutæ purpuris, ac perſonatæ. Multoque jam tempore majorem in modum placebat ſpectaculum, donec è ſpectatoribus facetus quiſpiam nuces, quas clãculùm in ſinu geſtabat, in medium abjecit. Ibi ſimiæ, ſimul atq; nuces vidiſſent, oblitæ choreæ, id eſſe cœperunt quod ante fuerant, ac repentè è ſaltatricibus in ſimias redierunt: contritiſque perſonis, dilaceratis veſtibus, pro nucibus inter ſe depugnabant non ſine maximo ſpectatorum riſu. *Eraſm. in Lucian.*

VESICA.

Solent Pueri acceptas ſuum Veſicas ſpiritu implere, ac juxta ignem ſuper cineres ſic eas confricare, ut incaleſcant, nec tamen lædantur; eſtque is luſus in Jonia & in aliis gentibus non paucis perfrequens. Accinunt verò inter fricandum verſus quoſdam numeroſos & cantu rhythmico, & hortãtur ad incrementum. Ubi verò illis abundè videtur extenſa, rurſos inflant, ac magis diſtendunt, & iterùm fricant, quoad ſatis augmenti accepiſſe videatur. *Gal. de Nat. fac. lib.1. c.7.*

NUM-

NUMMIS.

ΧΑΛΚΙΣΜΟΣ, ludi genus, quo numum raptim circumagendo digito impoſitum excutiebant pueri, & priuſquam humi caderet, excipiebant digito recto. *Euſtath. Iliad. ξ. & Pollux.*

POCULO, COTTABO.

Magni ſtudii Cottabus apud Siculos erat, apud quos & inventus fuit, ita ut gradus etiam huic ludo peropportunos conſtituerent, ut *Dicæarchus* narrat *in lib. de Alcmene. Callimachus* eleganter Siculam, guttam appellavit. *Dicæarch. Mileſius* Ariſtotelis diſcipulus, guttam etiam Siculum nomen eſſe aſſerit *in lib. de Alcæo.* Eſt autem gutta humor ille, qui relinquitur in poculo à bibentibus, quem in manum converſam deſuper ludentes in cottabum conjiciebant. Scribit *Clearch. in Tract. de linguis,* Theſſalos ac Rhodios cottabum ex poculis guttam appellare conſueviſſe. Manes ludi genus, quod in pelui fiebat. Peluis aqua impletur, atque oxybapha vacua in ea natabant, in quæ guttas intendentes ex carcheſiis ea immergere nitebantur. Capiebat ille cottabos, qui plura eorum demerſiſſet. *Ath. l.15. c.1.* De ea re *Svid.* in verbo Κοτταβίζειν ſic ſcribit: Ludicrum apud Athenienſes fuit hujuſmodi. Bacillus humi defigebatur, & alius imponebatur, qui moveretur, ut in libella: de quo duæ lances penderent, & ſub iis lancibus duæ aquæ crateres, & ſub aqua æneum ſigillum inauratum, quod Manes dicebatur. Hæc fiebant in ſympoſiis, ac ludentibus omnibus, aliquis ſurgebat phialam tenens mero plenam: atque eminus ſtans, vinum omne uno impetu in lancem fundebat, ut repleta mergeretur: & caput ſigilli ſub aqua latentis feriens, ſonitum ederet, qui cottabus dicebatur: iſque quò major, eò melior. Quòd ſi nihil de vino effunderet, vincebat, & ſciebat ſe amari ab amica: ſin minus, vincebatur. *Svid.*

PERSONIS, HABITU MUTATO.

☞ *Vide Tit. Perſonati. In Loco de Perſona.*

Romani veris initio, Matri Deorum pompam celebrabant, in qua paſſim omnibus quas vellent perſonas induere licebat. ☞ *Vide Tit. Pœna perfidiæ erga principes.*

☞ *Pete ex Tit. Superiori, Ludi Politici civiles, multa, quæ hic conveniunt.*

PERSONARUM RATIONE HABITA.

Nempè
Qui luſerint v. c.

POPULI, RESPUBLICÆ, CIVITATES.

LACON quiſpiam videns ſcenicum apparatum Athenienſium, dixit: Quantùm peccant Athenienſes, tantum qui in ludum ſerii impendunt; id eſt, magnarum claſſium ſumptus & exercituum ſtipendia effundunt in theatrum. Nam ſi ad calculum revocetur, quanti fabula quæque ſteterit, plus impendiſſe planum fiet eum populum in Bacchas, Phœniſſas, Oedipodas, Antigonam, Medeæ & Electræ calamitates: quàm pro imperio & libertate belligerans cum barbaris erogarit. Duces ſæpenumerò poſtquam edixerant, ut incocta cibaria milites ſecum ferrẽt, eduxerunt eos ad prælia. Et herclè trierarchi ſociis navalibus parata farina, & in opſonium cepis & caſeo, impoſuerunt eos in navibus. Choragi verò mimis anguillas, lactuculas, allii nucleos, & medullam apponentes, in longum tempus convivio excipiebant, dum vocem exercerent, & genio indulgerent. Atque ex his, qui ſuccubuiſſent, hoc reſtabat eis, ut exploderentur & illuderentur: victores non menſam aſſequebantur, non monimentum palmæ, ut eſt *Demetrius* auctor:

Sed in rudentibus vitam depoſitam,
Demortuorumque cenotaphiam domum.

Nam hujuſmodi exitus extiterunt Poeticæ: neque indè clarius quicquam. *Plut. de gloria Athen.*

Græcorum ſtudia ludicra, poſt victos Perſas otiantium, *Horat. lib.2. epiſt.1.* his verſibus deſcribit:

Ut primum poſitis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua,
Nunc Athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum:
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit:
Suſpendit picta vultum mentemque tabella:
Nunc tibicinibus, nunc eſt gaviſa tragœdis:
Sub nutrice puſla, velut ſi luderet infans:
Quod cupidè petiit, maturè plena reliquit.

Sub Diocletiano & Maximiano Imp. Romana civitas nimia rerum proſperitate cæcata uſque adeò luxuria diffluebat, ut cùm ſe in omnia deliciarum genera intemperanter effunderet, ipſa de felicitate ſua propè triumphare quotidiè videretur. Nam ex nobilitate alii tanto ſtatuarum ſibi ponendarum ſtudio exarſerant, ut eas etiam auro circumveſtirent: alii curribus ſolito altioribus vecti, aut cultu laxiore ornati, aut immenſis familiarium agminibus ſtipati, per urbem glorioſiùs incedebant: non defuerant etiam qui continuandis agris & jungendis poſſeſſionibus ſervientes, nihil aliud contenderunt, quàm ut patrimoniũ ſuum in immenſum augerent. Cantores autẽ, & ſcenicos artifices in tanto precio habuerunt, ut ejuſmodi acroamata, atque otii liberalis oblectamenta, pluris quàm doctos aut diſertos homines facerent. Menſas verò vulgò ſic inſtruebant, ut exquiſitiſſimis dapibus conquirendis, & conviviis intempeſtivis celebrandis, inſana perpotandi pervigilandique libidine dies noctéſque conſumerent. Ex plebe autem, alii in tabernis vinariis pernoctabant, nonnulli velabris umbraculorum theatralium ſe abdebant, quidam aleis pugnaciter contendebant, omnes fermè totos dies in theatris ac circis, ludis, muneribuſque dediti traducebant, otium ipſum Imperatorum ſolertia comparatum ad voluptatem, non ad virtutem incitamentum habentes. Atq; hi quidem mores (licèt poſteriores aliquot Imperatores emendare conati ſint) tamen in dies corruptiores deterioreſque effecti ſunt, quouſque tota Italia otio marceſcente, ac diuturno propè languore torpente, barbari Imperium ex omni parte debile invaſerunt, ac ſæpiſſimè diſtraxerunt. *Sigon. l.1. Imp. occid.*

REGES, PRINCIPES.

M. Antonius cùm Cæſ. Octavio in gratiam redierat, ejuſque ſororem Octaviam duxerat; eum tamen concertationes ludicræ, in quibus ſemper fuit Cæſare inferior, mordebant. Erat enim in contubernio ejus fatiloquus Ægyptius, ex natalibus prædicere futura doctus, qui vel Cleopatræ gratia, vel expromens veritatem, apertè demonſtravit Antonio, fortunam ejus Cæſaris fortuna obfuſcari, ſuaſitque, ut ab illo adoleſcente removeret ſe quàm longiſſimè: Hujus enim genium, inquit, formidat genius tuus, qui erectus & celſus, ubi ſolus eſt, illo appropinquante demiſſior redditur & ignavior. Et ſanè ſuffragari rem ipſam apparebat Ægyptio: namque ferunt, cùm per luſum in quacumque re emitterent quotidiè ſortem, vel alea luderent, victum diſceſſiſſe Antonium. Crebrò commiſſis gallis gallinaceis, crebrò bellatricibus coturnicibus, ſuperaverunt emiſſi à Cæſare. Undè conflictatus in animo Antonius, magiſque ad Cleopatram Ægyptiam ſe applicans, re familiari ſua Cæſari mandata, exceſſit Italia. *Plut. in Anton.*

AUGUSTUS Cæſar exercitationes campeſtres equorum & armorum ſtatim poſt civilia bella omiſit, & ad pilam primò folliculumque tranſiit: mox nihil aliud quàm vectabatur, & deambulabat, ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret xyſto vel lodicula involutus. Animi laxandi cauſa modò piſcabatur hamo: modò talis, aut oſcillatis, nucibuſque ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipuè Mauros, & Syros. Nam Pumilios, atque diſtortos, & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ, malique ominis, abhorrebat. *Svet.*

M. ANTONIUS Philoſophus amavit venationem, luctam, curſus, aucupatus, & pilæ ſtudium. Sed antè omnia Philoſophiam. *Cuſpin.*

DOCTI HOMINES.

Exercitatio Theoricam ſuam ἀναπαύσιν & παιδιὰν neceſſariò requirit. Quæ vel communis illi eſt cum ſtudiis practicis, utputa muſica, palæſtra, deambulatione, & ſimiles motus, quibus etiam illi qui in practico otio verſantur, incumbunt, animi relaxandi gratia: vel propria eſt illi, ipſa videlicet φιλολογία, hoc eſt, Confabulatio de litteris remiſſioribus, quas Plato μαλακωτέρας μούσας vocat, & gravioribus ſtudiis, καὶ συντονωτέραις μούσαις opponit. A ſtudiis Philoſophiæ, Theologiæ, Medicinæ, Iuriſprudentiæ recurſus, & veluti relaxatio dabitur ad ſtudia Hiſtoriarum, Eloquentiæ, Mathematices etiam, ſi placet.

Xenoph. l.4. de memorabilibus dictis ac factis Socratis, ſcripſit de Socrate ſummo Philoſopho: ὅτι δὲ παίζων οὐδὲν ἧττον ἐλυσιτέλει τοῖς συνδιατρίβουσιν αὐτῷ, quòd & jocis ipſius graves, plenique doctrinæ & ſapientiæ fuerint, undè ad auditores non minus fructus, quàm ex ſeriis redire ſolebat.

Q. Mutius Scævola I. C. pila & xii. ſcrupis benè luſit. *Cic. lib.1. de Orat. Quintil. lib.12.*

PUERI.

☞ *Vide infrà, Nucibus, Veſica, Avibus ludere.*

Pollux ludum χαλκῆς μυίας, æneæ Muſcæ, inquit, ita olim exerceri ſolitum, ut puer aliquis cum faſcia oculos obvoluiſſet, in orbẽ verſaretur, clamaretq; Aheneam muſcam venabor: alii verò reſpondentes, Venaberis, nec tamen capies; cæderent illũ ſcutica è levi materia facta, vel manibus, donec aliquem è nu-

mero

A mero eorum qui ſecum ludebant, prehendiſſet.

Extat apud *Stob. ſerm.76.* ex Herodis hemiambis, carmen de Puerorum ludis tale:

Ἤ χαλκείην μοι μυῖαν, ἢ χύτρην παίζει·
Ἢ ταισὶ μηλολόνθαις ἅμματ' ἐξάπτων
Τῷ κεσκέῳ μοι τὸν γέροντα λωβῆται.

Aut æream ille muſcam, aut ollam luſitat, aut ſcarabeos funiculis vinciens è ſtuppa contortis, negotium ſeni faceſſit.

JUVENES.

Pila, armis & equis, haſta, clava & pila, lucta, venatione & curſu exerceri Romanam juventutem, vetus conſuetudo fuit. Pariter ſudem torquere, equum agitare, arma tractare. Item jactu diſci, curſu, ſaltu, jaculatione vel cæſtu. Eratque ſenatuſconſulto cautum, ut niſi his ludis pecuniam ludere liceret. Græcis octo fuere ludi, quibus juventus exercebatur impunè: ſtadium, diaulus, dolichus, hoplites, pygme, pancratium, pale & halma, hoc eſt, ſaltus.

Cùm Rom. juvenes caſtè pudicèque ſub moderatorum cuſtodia haberentur, datum eſt eis petentibus, ut per luſum ac jo-
B cum liceret animum recreare. Poſteà natu grandiores admiſſi, etiam utriuſque ſexus. Manſit tamen nomen à priorum ætate, ut Juvenales Ludi dicerentur. *Scalig. l.1. Poetices, c.39.* Juvenes hinc indè diſpoſitis turmis tanquam acie inſtructa, compoſito agmine in juſtæ modum pugnæ curſitabant, ſpeciemque prælii, modò in occurſum eundo, nunc à tergo & in gyrum occurſando præbebant. Juvenalium vocabulo Corn. Tacitus ſcribit Neronem inſtituiſſe ludos, in quibus non nobilitas ulla, non ætas, aut acti honores erant impedimento, quò minùs Græci Latinique hiſtriones artem exercerent, uſque ad geſtus modoſque parùm viriles. Quin & feminæ illuſtres deformia meditabantur. Fieri quoque juſſit conventicula & cauponas, ubi poſita erant irritamenta luxus, undè corruptis moribus acceſſit libidinum colluvies poſt natos homines longè maxima. *Alex. l.6. cap.19.*

Tarviſini Ludi inter Virgines & Adoleſcentes. ☞ *Vide infrà, Eventus ludi bellum.*

CUM QUIBUS. LUDERE

C

Cum Dæmonibus.

Regem Rhampſinitum, ſecundum à Proteo primo Ægyptiorum Rege, ajunt deſcendiſſe vivum ſub terram, eò ubi Græci opinantur ſedes infernas eſſe, & ibi cum Cerere alea luſiſſe: & aliquando victorem, aliquando victum fuiſſe: & rurſum iterum fuiſſe reverſum, munus ab ea obtinentem mantile aureum. Quod tempus à Rhampſiniti deſcenſu ad reditum, dicebant ſacerdotes feriatum eſſe apud Ægyptios. *Herod. l.2.*

Apud Rom. Herculis æditimus, fortè otii fallendi cauſa, alea cum Deo ludere ſtatuit, hac lege, ſi viciſſet, ut ille quippiam ſibi conferret doni: victus, ut Deo ipſe lautum epulum, & concubitum præberet formoſæ mulieris. In hanc legem alternante manu jacit pro Deo, indè pro ſe. Victus, cùm ſtare pactis & conditioni vellet conventæ ſatisfacere, cœnam Deo inſtruxit, Laurentiamque formoſam puellam nondum famoſam, mercede pactus, invitavit (Accam Larentiam vocant alii: alii Floram putant fuiſſe. *Verrius Flaccus* Flaviam cognominatam aſſerit) lectum ei ſtravit in templo, qua ut Deus potiretur, eo in loco concluſit illam. Fama tenet, Herculem cum puella congreſ-
D ſum, juſſiſſe ei, ad forum mane ſe conferret, & in quem incidiſſet primum, eum oſculo dato amicitia ſibi jungeret. Occurrit ei quidam ex civibus magno natu & opulentus Tarrutius, liberis orbus, qui hactenùs ætatem in cœlibatu egerat. Hic Laurentiam complexus eſt ac dilexit, multorumque & lautorum prædiorum reliquit moriens hæredem, quæ illa pleraque populo legavit. Hæc cum jam celebri nomine eſſet atque à Deo dilecta, traditur ex hominum ablata conſpectu, quo loco Laurentia Fauſtuli uxor humata eſt. Velabrum nunc vocant, ex eo, quòd in crebris fluvii exundationibus trajectus ex loco in forum eſſet. Trajectum Velaturam vocant. Alii deducunt à velo: quòd qui munus populo exhibent, indè velis viam, quæ à foro fert in Circum maximum, adumbrent. Hac de cauſa Laurentia altera apud Romanos colitur. *Plut. in Romulo. D. Auguſt. lib.6. de Civ. Dei, c.7.* nobiliſſ. meretricem facit, & Tarrutium juvenem, non ſenem.

CUM PUERIS.

Herculem ajunt labores, quos in certaminibus ſubibat, ludicris allevaſſe. Ludebat enim ille Jovis & Alcmenæ filius remiſſiùs cum pueris. Sed & Euripides eundem Deum introducit, & facit dicentem: παίζω· μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ: Lu- E
do, quoniam laborum viciſſitudo mihi ſemper grata eſt. Dicit autem hoc, puerum tenens. *Ælian. l.12. de Var. hiſt.*

Socrates, qui Delphici Apollinis oraculo omnium ſapientiſſimus pronuntiatus eſt, cùm fortè cum Lamprocle filiolo pueriliter luderet, ab Alcibiade vehementer deriſus eſt. At ipſe, Non eſt, inquit, ut me parentem cum filio ludentem rideas immoderatiùs, qui ignoras parentum in filios affectum. Tacebis itaque, donec & ipſe liberos genueris. *Ælian. l.12. de Var. hiſt.*

Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, quum miro eſſet affectu erga liberos ſuos, dicitur aliquando arundine pro equo conſcenſa, unà cum pueris luſiſſe domi. Id cum fortè vidiſſet ex amicis illius quidam, rogabat, ne cui diceret, quod viderat, priuſquam ipſe quoque liberorum parens eſſet factus. *Plut. in Lacon. Apopht. & Ælian. lib.12.*

Masinissa laudatur, quòd pro ſimiis & catulis maluit pueros alere, uſque ad annum tertium, deindè remittebat eos parentibus. *Eraſm. in Adagiis.*

Augustus Cæſar. ☞ *Vide ſuprà, Principes qui luſere.* F

Volaterranus ait, Coſmum Medicem jam ſenem, & patriæ principem, nepotibus parvis colluſiſſe, & ex his avenam in medio foro aptaſſe.

CUM SERVIS.

Archytas Tarentinus, Reip. ſimul & Philoſophiæ ſtudio deditus, factus jam maritus, ſervis abundans, maximè liberis eorum delectabatur, & cum ſervorum filiis ludicra agitabat, plurimùmque inter epulandum illorum præſentia delectari ſolebat. *Ælian. l.12. de Var. hiſt.*

M. Cato Cenſor graviſſimus, cùm verna & famulatu animum relaxavit, & ea ipſa die qua tulit repulſam, in convivio luſit. *Alex. ab Alex. l.3. c.21.*

Philippus Rom. ex Vultejo Mena præcone quos ludos ſibi compararit, *Horatius* eleganter deſcribit *lib.1. Epiſtol.*

CUM MORIONIBUS.

Aurelianus Imper. mimis nonnihil delectatus eſt. Sed multò plus Phlagone portentoſæ voracitatis, qui in convivio totum comedit aprum, veruecem unum, & porcellum unum, & cum his panes centum, bibitque per infundibulum vini or- G
cam. *Flavius Vopiſcus.*

Otho Jucundus cognomine, ab aliis Mirabilis dictus, Auſtriæ Dux, duobus morionibus ſummoperè delectabatur, altero equite Franco, Othone Fugs, qui ab eventu odii, quo cum ruſticis perpetuò conflictabatur, Neydhardus dictus eſt: altero ſacrifico, Vignado à Teben, Parocho in Calenberga, pago ad Danubium. *Lazius in Geneal. Auſt. lib.2. & Hier. Zieglerus de viris illuſt. Ger.*

Pius II. Pontifex Florentinum quendam interdum adhibebat, cui Græco nomen erat, hominem cujuſvis mores, naturam, linguam, cum maximo omnium qui audiebant, riſu, facilè exprimentem. *Platina.*

Hadrian. VI. Pontif. in menſa ad remittendum animum ſæpiſſimè delectari ſolebat Toccino Sannione ſalſiſſimo, quem ab Hiſpania ſecum adduxerat, quo etiam pro ſpeculatore urbanarum utebatur. *Iovius in Hadriano.*

Cum dormientibus.

Carolus V. Imp. Gandavi ruſticum temulentum in trivio dormientem conſpicatus, in aulam à ſuis ſatellitibus deferri curavit, & in regio lecto collocari: cunque edormiſſet crapulam, famulos præſtò eſſe, qui eum ſplendidis veſtibus induerent, & tanquam Imperatorem obſervarent. Parent illi. Ruſticus ex-
pergefactus, rei novitate primùm obſtupeſcens, & vigilantem H
ſe ſomniare exiſtimans, mox magicis præſtigiis ſe decipi credens, adjurationibus & obſignationibus cacodæmones abigere tentabat. Verùm cùm tandem & menſa regia eſſet appoſita, præſentem felicitatem amplectens, nec qua ratione eam adeptus eſſet, ulteriùs perpendens, regio ſupercilio famulos alloqui, eorumque miniſteria exigere cœpit. Porrò ubi vino obrutus in ſomnum rurſus incidit, veſtibus propriis ruſticum veſtiri, & in trivium reponi juſſit. Ruſticus cùm crapulam edormiſſet, ſomnianti ſibi ea, quæ vigilanti in aula Imperatoris acciderant, apparuiſſe conſtanter affirmavit. Simili ferè commento Aſſaſſinorum Reges ad religionis Mahumetanæ defenſionem ſuos ſubditos animare ſolebant.

Modi ratione habita. Quo. genere Ludi. Videlicet Animum occupando.

Μεταβολὴ πάντων γλυκὺ, inquit ille. Et cũ homo ad negotiũ ſit natus, otio tamẽ ceu medicamẽto utetur, ut viciſſitud. quietis ad conſue-

A *conſueta munia alacrior redeat. Quemadmodum enim in longis peregrinationibus planiciem minùs odioſam montis facit viciſſitudo, & collium aſperitatem ſubjectæ valles minuunt: ita labores in quocunque genere diſciplinæ diverſa ſtudia refocillare ſolent.*

Literis in genere.

Quemadmodum in corporis motu ſtatio ſeſſionis quies eſt, ſtationis decubitus, decubitus deambulatio: ſic in animi motibus diverſarum rerum theoria quietem aliquam præſtat: præter id quòd quando ratio feriatur, phantaſia nihilominus aut memoria liberè poteſt operari. Ergo Iurecoſſ. in Poetarum viridaria, Poetæ in Hiſtoricorum pomaria ſic exſpatientur, & animum relaxabunt argumenti diverſitate, & non minus otii quàm negotii ſui fructum percipient. Idem de cæteris ſubintelligitur.

Lectione.

☞ *Vide locum Lectionis.*

Scriptione.

B *Hujus generis ſunt, Platonis Sympoſium, Athenæi Dipnoſophiſtæ, Ciceronis Tuſc. quæſtiones, Macrobii Saturnalia, & ſimiles aliæ doctorum jucundæ converſationes.*

Cantu.

Apud Spartanos tres erant in ſolennibus per tres ætates inſtituti chori. Chorus ſenum exorſus canebat:

Nos quondam eramus inclyti bello viri.

Juvenum chorus reſpondebat:

Nos ii ſumus: fac, ſi velis, periculum.

Tertius puerorum:

Nos fortitudine plurimum præſtabimus.

Plutar. in Lycurgo, & de Sua ipſius laude.

Muſica.

☞ *Conſule Tit. Muſicæ uſus in relaxandis animis. Illic habitus theorici exercitatio, hic practicæ vitæ recreatio conſideratur.*

C

Poeſi, Dramatis.

Anno 1513. Julianus Medices Leonis X. Pont. frater ab Senatu populoque Romano civitate donatus eſt, in cujus gratiam, in area Capitolii temporarium theatrum extructum eſt omni picturarum varietate mirificè cultum. Egere in ſcena Plauti Penulum decore mirabili, & priſca quadam elegantia Romanæ juventutis lepidiſſimi quique, variaque extra ordinem Poemata recitata, florentibus non aliàs fœcundiore ſeculo Poetarum ingeniis. Siquidem Pontifex liberalibus diſciplinis inſtitutus, veluti paternam gloriam in eo virtutis genere ſuperaturus, quum publico elogio literatorum Præſidium inſcriberetur, ſtudioſos omnis elegantiæ, qui inter armorum ſtrepitus non emerſerant, jam tum magna ſpe liberalitatis accenderat. *Iovius lib.11. Hiſtor.*

Hiſtoriis.

☞ *Hiſtoriam in genere τῶν καθέκαστα γνῶσιν quarumcunque rerum ſtatuimus: quando non præceptorum univerſalium, ut in Philoſophia, ſed exemplorum par-*
D *ticularium narratio inſtituitur.*

Mechanicis exercitiis.

☞ *Huc Regum & Philoſophorum exempla pertinent, qui mechanicis animi gratia incubuere. De quibus ſub Exercitationis ſtudio egimus. Hìc ſolius relaxationis habetur ratio. Conſule Tit. Mechanicarum artium. Hìc ſolius relaxationis animi ratio habetur.*

Lucam Euangeliſtam arte picturæ animum ſpiritalibus negotiis fatigatum remittere conſueſſe accepimus. Romæ duæ imagines viſuntur: altera Chriſti in Sancta ſanctorum, altera B. Mariæ Virginis in Eccleſia quæ ſanctæ Mariæ majoris dicitur: eas ab ipſo pictas ferunt, ſimilitudinem exprimentes eorum, quorum nomini dedicatæ ſunt. Conſtantinopoli etiam extare ejuſdem Virginis effigiem pictam conſtat, quam ab eodem delineatam ac fabrefactam fama celebrat. *Sabellicus lib. 2. cap.9.*

Paulus Abbas in Ægypti eremo (cui Porphyrio nomen eſt) confidens, cùm ſibi ad victum hortulus, quem ipſe fecerat & palmarum ferax regio ſatis eſſent; quotidie tamen aliquot horis palmæ texturæ operam impendebat. Ea verò quæ texu- E
rat, annis ſingulis concremabat. Septima enim & eò ampliùs manſione ab hominum habitaculis remoto, neque dare illa cuiquam, neque vendere promptum erat. Quotidianus igitur labor non niſi fugiendi otii cauſa inſumebatur. *Marulus lib. 3. cap.9.*

Danieli Ægyptio Abbati & presbytero in Scythiotico monaſterio degenti, ſicut facere aliquod operis poſt ſpiritales labores libuit: ita quæ confecerat, ad vicum aliquem deferendo venditare, rubori non fuit. Pretium omne pauperibus largiebatur: eleemoſynas de propriis laboribus impendens, comperta ratione, qua & minimè otioſus, & maximè pius eſſet: utque dignus appareret, cujus exemplo cæteri viverent, miraculis nobilitatus eſt. *Marul. l.3. c.9.*

Stephanus anachoreta in Mareotide regione ſanctitate vitæ & miraculis clarus, quamvis herniæ morbo (quem Græci hydrocelen appellant) laboraret: non tamen intermittebat, quin certa diei hora de palmarum foliis funiculos intorqueret, majorem morbum exiſtimans otioſitatem. *Marul. lib.3. c.6. & Sab. lib.2. c.9.*

Palamedes Dux prudentiſſimus piſcatione delectabatur. Auctor carminum Cypriorum tradit, eum, dum piſcatum exiiſſet, ab Ulyſſe & Diomede demerſum periiſſe. *Pauſanias* F
in Phocicis.

Cyrus Major Perſarum Rex (ſi vera ſunt quæ de eo Græci ſcriptores prodiderunt) mirificè eſt terræ cultu delectatus. Satis conſtat, à Lacedæmonio hoſpite mortalium feliciſſimum judicatum, quòd præter regnum, quod ampliſſimum illi fuit, terram ſcientiſſimè coleret. *Sab. lib.2. c.9. ex Cicerone.*

Æropus Macedon. Rex ſubtiles menſulas & lucernulas, ubi vacabat, fabricando, tempus traducebat. Attalus Philometor herbas venenoſas colebat, non tantùm hyoſcyamum & helleborum, ſed & cicutam, aconitum, dorycnion ipſe in hortis regiis ſeminans & plantans: liquoreſque & ſemina & fructus horum elaborabat cognoſcere, ac ſuo quæque tempore colligere. Parthorum Reges telorum cuſpidibus ipſi formandis & exacuendis ſeſe venditabant. *Plut. in Demet.*

Grave potiùs quàm à ratione alienum protsùs dici poterit otium Attali Aſiæ Regis, qui fundendis ære ſtatuis interlaxare curas, atque ea re fatigatus hortum ſuum fodere ſolebat. *Fulg. lib.8. c.8. & Sab. lib.2. c.9.* G

Quemadmodum Scythæ, quum in multum temulentiæ provecti ſunt, arcuum chordas pulſare conſueverunt, ut per eam agitationem animum ad priſtinam continentiam revocent: ita Demetrius Poliorcetes Rex laborem & mollitiem medio quodam negotio jungere ſolitus dicitur: quippè qui ſequeſtra quadam inter arma & voluptatem induſtria uſus, naves & bellicas machinas ingenioſè fabricaret, non ad ſordida & puerilia, ut plerique regum, opera animum intendens, ſed ad rei bellicæ uſum maximè neceſſaria. Quindecimremem navim contexuit, & alteram uno ordine adhuc majorem. Plinius trigintaremem prodidit. Ingentem prætereà machinam, qua adverſus Rhodios eſt uſus, qui Ptolemæi partes fuerant ſecuti. Machina ab eventu urbium expugnatrix eſt dicta, & ipſe per hæc quæ fiebant, Poliporthos eſt dictus, id eſt, urbium populator. *Sab. lib.7. En.4.*

Dionysius junior cura belli ſolutus, plauſtella, menſas & ſedes mira arte pinxit. *Alex. ab Alex. lib.3. c.21.*

Videtur L. Tarquinius (qui ultimus fuit Romanorum Regum) ab agri cura non abhorruiſſe: qui ex horto funeſtum illud Gabinæ civitati, Corinthoque tranſlatitium, dedit filio H
reſponſum. *Sab. lib.2. c.9.*

Augustus Cæſ. piſcando etiam fallere otium conſueverat. *Sveton.*

M. Antonius Triumvir ſolebat, Alexandrinis illecebris captus, cum regina Cleopatra ſæpiùs piſcari: habebatque urinatores paratos, qui occultè piſces viciſſim ipſius piſcantis hamo affigerent. Admonuit frequens captura reginam vanæ oſtentationis. Quam ut majore quodam riſu eluderet, præmiſit, qui fumoſum piſcem piſcanti appenderet. Qui attactus, ingentem ridendi materiam præbuit Cleopatræ & legatis qui aderant. Erubuit Antonius, ſuis eluſus artibus. Ad quem Cleopatra: Alexandrinorum eſt (inquit) Antoni Imperator fortiſſime, piſcari: tuum, bellando vincere. *Sabell. lib.10. c.4. ex Plut. in Antonio.*

M. Antonius Philoſophus Imp. Imperii mole, & philoſophiæ ſtudiorum aſſiduitate defatigatus, laſſum jam animum aut pila aut pictura recreabat: altera enim corpus exercebat, altera, immutato cogitandi genere, unà cum corpore ſpiritum renovabat. *Fulg. lib.8. c.8.*

Dic

A DIOCLETIANUS imperio depoſito ſponte, Salonæ Dalmatiæ hortulum colebat, & lactucis irrigandis otium terebat.

SAROCHUS Tartarorum Rex, Magni Tamberlani filius, ut regni curis defatigatus animum recrearet, ſagittas in arcus uſum, flagellaque manu ſua conficiebat, ut ea poſtmodùm in foro venirent. *Fulgoſ. l.* 8. *c.* 8.

MAHUMETUS II. Turcarum Rex, Conſtantinopolis everſor, regno longè majore quàm Sarochus potitus, cujus ipſe majorem partem armis atque virtute pepererat, animi gratia lingulas aut cochlearia pingere aut ſculpere ſolebat, regnique curis, aut etiam ſtudio, cui magnam temporis ſui partem impendebat, defeſſus, hortum colere ſolebat: nunc raſtris fodienda humo, nonnunquam putandis arboribus, fructuſque qui ex eo capiebantur, magno ſtudio vendi curabat: non ut avarus plura congereret, ſed voluptate captus eorum laborum, quos in curando horto pertulerat. *Fulg. lib.* 8. *c.* 8. *& Sab. lib.* 7. *Enn.* 4. Idem cùm oratorum poſtulata audiret externarum gentium, cochlearia lignea affabrè cælabat, aut in tabula aliquid effingebat. *Sab. lib.* 2. *c.* 9.

B INNOCENT. IIX. Pontifex, prorſus pontificias curas non omiſit, & tamen ſuccifivas horas, quas tranſigere otioſus poterat, perſæpè putandis hortorum ſuorum arboribus impendebat. *Fulg. lib.* 8. *c.* 8.

Fuit Franciſci Foſcari Venetorum Ducis principatus variis curis, variiſque moleſtiis publicis, belloque in primis Gallico cum Philippo Mediolanenſi Duce plurimos vexatus annos. In quo certè & Patres ipſi, & univerſa civitas, & Foſcarus ipſe dux præcipuè laborarunt. Cæterùm conſtat, ipſum ducem, cùm otium ipſum non aſpernaretur, intra publicas res quamvis maximè ſollicitum, piſcationi operam, ubi liceret, impendere ſolitum, proculque ab urbis ſtagnis in eo otio verſatum. Videbat enim, qua ſapientia præſtabat, non poſſe publicæ rei tantos fluctus à ſe ſuſtineri, niſi privato ſolatio quandoque indulgeret. *Petrarcha de Otio.*

Animum relaxando.

☞ *Animi relaxatio contraria eſt ejuſdem intentioni (ab arcu ducta ſimilitudine.) Intentio eſt in Occupatione ſive Negotio propoſito, qualecunque illud ſit, pro inſtituto vitæ aliud atque aliud (ſic eſt qui ludens, ſeria agit: eſt etiam* C *qui ſeria agens, ludit.) Relaxatio vel in nulla occupatione, vel in diverſa à negotio propoſito. Quam relaxationem cùm Vrbanitas moderetur, ex loco Vrbanitatis exempla non pauca huc poterunt transferri.*

Vino.

☞ *Conſule Tit. Ebrioſorum. Illic Intemperantiæ circa alimenta, circa cibum videlicet & potum, habetur ratio: hic vero Hilaritatis, quæ mentis alienationem comitatur. Vinum certe non alimenti tantùm, ſed & medicamenti cauſa homini datum. Sed quæ alimenti ratio, ut non niſi moderatè ſumptum corpori commodet, eadem quoque medicamenti. Cæterùm quia medicum & invenire & obſervare & retinere difficile eſt, eapropter plures ex vino ebrios quàm hilares videre licet.*

TEUCER ob cædem fratris Phoci ex Salamine inſula, cui pater Æacus, uti & Æginæ, imperabat, fugere coactus, calamitatibus undique oppreſſus, vino curas abegiſſe narratur, *ab Horatio in Odis*:

——Teucer Salamina patremque
Cum fugeret tamen uda Lyæo
D *Tempora populea fertur vinxiſſe corona.*

AMASIS Ægyptiorum Rex, ab aurora uſque dum refertum eſſet forum, accuratè negotia expediebat: deinde potabat, & inter compotores jocabatur. Quibus rebus offenſi amici, eum verbis caſtigabant, quòd contra dignitatem regiam ageret. Quibus ille reſpondit: Arcus ab his quorum ſunt, cùm eſt opus, intendi: eoſdem, ſi ſemper intenti ſint, ruptum iri: nec poſſe eis illos, cùm indigeant, uti. Ita etiam homo, ſi aſſiduo laborare ſtudio, nec ullam partem ad luſum ſibi indulgere velit, fore ut pedetentim aut mente capiatur, aut membris. Ea propter utrique rei tempus impertiendum. *Herod. lib.* 2.

Amoribus.

JOAN. Meneſius Luſitanus, rebus in India & Mauritania ſub Emmanuele Luſitanorum Rege geſtis Dux clariſſ. cùm vitæ caſtimonia & morum integritate multùm omnibus, qui vitam in armis degerent, anteiret, tum amoribus ſine vitæ petulantia, aut ulla verborum obſcœnitate deditus erat, ita tamen ut in illis etiam non libidinis ullum veſtigium extaret, ſed ludus ſine ullius pudoris intertrimento quæſitus appareret. Quantum ingenio valeret, verſus, quos patrio ſermone compoſuit, apertè declarant: Nec enim illis quidquam vel argutius, vel E feſtivius excogitari poteſt. *Oſor. l.* 9. *rer. Em.*

Medicamentis.

PISISTRATUS Neſtoris, & Telemachus Ulyſſis F. convivio excipiuntur à Menelao. Helena ad lætitiam generandam inilcit poculo vini Nepentes, de quo ſic *Homer. Odyſſ.* δ.

Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησ' Ἑλένη Διὸς ἐκγεγαυῖα·
Αὐτίκ' ἄρ εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
Οὔ κεν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν;
Οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατήρ τε,
Οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν, ἢ φίλον υἱὸν
Χαλκῷ δηϊόῳεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.
Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα
Ἐσθλὰ, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις.
Αἰγυπτίη τοι πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα,
Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Conſueverat Selymus Turcicus Imp. nonnunquam edere ſemen quoddam Turcis notum, quod rerum ſeriarum ac moleſtarum memoriam hominibus adimit, eoſque liberos ac jucundos per aliquot horas facit. Id quod ipſe efficiebat, ne pro- F fundiùs gravioribus cogitationibus inhæreſceret, ſed ad oblectandum animum aliquod temporis ſpacium haberet. *Iovius in vita Selymi*, teſtimonio Andreæ Gritti Venetorum Ducis.

Turcæ præter opium (de quo ſub Tit. Milites animare medicamentis) in uſu habent pulverem illis dictum Hairamluce, cujus circiter cochlear quicumque ſumpſerit, nihil loquitur, at continuò ridet, admiranda ſe videre ratus: atque hinc ſuos inſtituit geſtus, ut ingentem omnibus ſpectatoribus riſum moveat: qui ubi ad mentem redierit, ſe his vel illis fuiſſe locis, & mira vidiſſe rerum ſpectacula aſſerit. Rogati illi, pulverem cannabinum eſſe plerique reſponderunt, qui etiam ex Galeni doctrina *lib.* 1. *de Alimentis*, largiùs paulò ſumptus caput ferit vaporem ſurſum ob multam calefactionem mittens. *Vide Vierum lib.* 2. *c.* 35. *de Præſtig. dæm.* Quidam herbæ, quam Moluccam vulgò dicunt, ſemen eſſe volunt, eamque idcircò Lymphaticam nuncupant.

G

Corpus occupando.

Conviviis.

T. SEMPRONIUS Gracchus re bene geſta hilaritatis cauſa convivium cum militibus inſtituit. ☞ *Vide Tit. Fortitudinis cujuſcumque præmia & honores.*

MEMMIO cuidam vituperanti Catonem Uticenſem, dicentique, quòd totas noctes potaret: At illud, inquit Cicero, non addis, eum totos dies aleam ludere; civiliter excuſans Catonem, qui totum diem Reipubl. negotiis dabat, nocturnas aliquot horas ſumebat laxando animo. *Eraſm.* 4. *Apopht.*

Natatu.

Romanæ juventutis ſummum ſtudium fuit in nandi peritia, poſt ſolitas exercitationes, quibus quaſi ſimulacris pugnæ, animos, corporaque tanquam ad verum bellum acuebant. *Alex. ab Alex. lib.* 1. *c.* 20.

Deambulatione.

ANTON. Eremita cùm olim ſuos monachos animi & relaxationis gratia in deſertum duxiſſet, obviamque veniſſet ſagit- H tarius, admirans, cur Chriſti ſervi in otio vitam degerent: juſſit Antonius, ut arcum magis magiſque intenderet. Ille cùm incolumi arcu ulteriùs non poſſe, reſpondiſſet: Bene, inquit Antonius: ſic quoque nihil eſt quod continuum & perpetuum laborem ferre poſſit. *Volat. lib.* 21. *Anthrop.*

Equitatione.

MARCUS Cornarius ſublato Marino Faletto Princeps Venetorum creatus, dum res ipſas pubiicas curaret, ſemper equo vehebatur: non tam quòd ſe ſecuriorem fore crederet, quàm quòd ipſo equitandi uſu maximè oblectaretur. Eo otio equitandi delectatus, graviores pro Republ. curas ſuſtinere videbatur. *Egnat. l.* 8. *c.* 8.

Saltatione.

Saltationis ortum, ſpecies, differentias, *Scalig. l.* 1. *Poet. c.* 18. perſequitur. Ea apud veteres non ubique & paſſim, ſed in convivio, deliciarum cauſa, ſi quando præſtabatur, ludi fuit. Quippè cantus & ſaltatio, Homero teſte, convivii appendices ſunt, modeſta tamen, non impudens. *Alex. ab Alex. lib.* 2. *c.* 25.

HOMERUS literarum parens, quum jucundiſſima homini in digitos mitteret, ſomnum, amorem, cantum, poſtremam addidit ſaltationem; ſed præclaro diſtinxit epitheto, dixitque ἀμύ-

A μονα, ut quæ reprehenſionis morſum neſciret. Sed & alibi, huic quidem à Deo contributam bellandi rationem, vimque ſcribit: illi autem ſaltationis artificem modum, & optabilem cantum. Verſus Homeri ſunt hi:

Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν τε, καὶ ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Ceu planè innuat, eam eſſe prædulcem muſicam, quæ non ſit à ſaltatione abjuncta, dicaturque Deorum pulcherrimum donum. Ubi & illud attendendum ampliùs, quum bifariam res diſtribuerit, in bellum & pacem, duo hæc tantùm ut pulcherrima bellicis oppoſuit negotiis. *Cæl. lib.* 5. *cap.* 3.

Socrates ſaltationem quoque eſſe perdiſcendam arbitrabatur, velut multum inſit venuſtatis in apto concinnoque motu, & corporis efformatione compoſita; nec erubuit jam magno natu vir inter diſciplinas ſerias habere ſaltationem. Cæterùm, inquit ſecundo Legum Plato, reliquæ animantes ſenſu ordinis inordinationiſque ſuorum motuum vacant, quibus bene compoſiti nomen inditum eſt numeri, & concentus. Nos autem Deos noſtrarum celebritatum comites habuimus, qui ſen- B ſum numeroſum, concinnum, ſuavem, perjucundum nobis dedere, modulos, ſaltandique genera docuere. Choros ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id eſt, à gaudio nominaverunt. Itaque primam erudiendi rationem effici Muſarum & Apollinis opera, perſpicuum eſt: ineruditumque hominem eſſe, qui choreæ Muſarum expers ſit: eruditum verò, qui compos ejus eſt. Totumque id genus in choream, ſaltationemque & cantum diſtribui declaratur. *Cælius lib.* 5. *cap.* 3. *A. L.*

Pugna.

☞ *Vide Corporis exercitia, quatenus ludendo obeuntur.*

ALEXANDRI M. Milites ludicro certamine omen faciunt victoriæ. ☞ *Vide Tit. Victoriæ omina.*

Venationes erant ſpectacula, in quibus poſitæ in theatro feræ, ut tygres, elephanti & leones, gladiatoribus congrediebantur uſque ad mortem & caſum alterutrius partis. *Sveton.* inquit: Venationes editæ per dies quinque, ac noviſſimè pugna diviſa in duas acies, quingentis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commiſſis. In venationibus & gladiatoriis ſoli conducti, aut damnati, & ambitioſi ad C oſtentationem ſuarum virium exhibebantur, quoniam maximum vitæ diſcrimen imminebat. *Alex. ibid.*

Majumam ludi genus fuiſſe quoddam ſatis patet ex *lib.* 1. C. de Majuma. Svidas ſcribit, à Majo menſe fictum vocabulum, quòd cives Rom. certo ejus menſis die, oſtiam maritimam urbem ludibundi oppugnarent, ſeſeque in aquas marinas dejicerent. Quod ſi verum eſt, permirum videtur, nullam ejus ludi in Ovidii Faſtis mentionem fieri: ut omittam, quòd Arcadius & Honorius Imper. non ſe civibus Rom. ſed provincialibus ludi licentiam reddere ſcripſerunt. *Hotom. de Verbis juris.*

Tarviſini virgines & adoleſcentes in arce tuenda prælium committunt. ☞ *Vide infra, Ex ludo Bellum.*

Suffocatione.

SELEUCUS quoſdam ex Thracibus Suffocationem ludere ſolitos in conviviis aſſerit, laqueum rotundum ex loco quopiam demittentes, ſub quo lapidem ad perpendiculum ponebant, qui facilè aſcendentibus convolvebatur. Sortiebantur poſtea D inter ſe, atque is cui ſors tuliſſet, falcem accipiens, lapidem aſcendebat, collumque ponebat in laqueum, mox accedens alius lapidem provoluebat; ille verò ſuſpenſus ſubtracto lapide, niſi citiſſimè laqueum falce abſcidiſſet, moriebatur. Alii intereà ridentes pro joco mortem illius habebant. *Athenæus.*

Mixto ludi genere.

Miſcellanei ludi erant, qui ex ludionum multiplici genere conſuebantur. *Alex. ab Alex. lib.* 6. *cap.* 10.

FINIS RATIONE HABITA.
CUR. Ludere cauſa
Religionis.

☞ *Ludi propter ſumptus ad Magnificentiam pertinent. Iidem, quatenus qui ludunt, animi vel corporis vires exercent, ad locos Poetarum, Muſicorum, Athletarum referri debent. Hic conſiderantur ratione otii religioſi.*

Ludos apud Græcos non unius generis fuiſſe, ex multorum veterum ſcriptorum libris manifeſtum eſt. Apud Pindarum enim, ut cæteros auctores prætercam, legimus, Græcis certo tempore celebrata fuiſſe ſolenniter certamina Athenien- E ſia, Argiva, Arcadica, Thebana, Æginetica, Pellenæa, Delphica, Panathenæa, Sicyonia, Megarenſia, Eleuſinia, Marathonica, Ætnæa, Eubœa, & præterea aliquot alia ibidem recenſentur. Inter cætera verò omnia, maximè illuſtria & clara ſemper fuerunt Olympia, etiam orationibus: quæ omnia ita inſtituta fuerunt in honorem Deorum (quos hac ratione placare offenſos etiam ſolebant) vel præſtantis alicujus viri memoriam, optimè & præclarè de hominum vita meriti: vel etiam ut juventus à primis ſtatim annis ad amorem virtutis, & laudis æternum decus accenderetur. Ad ea tum (quia veteres probitatis & honeſtatis longè fuerunt amantiſſimi & cupidiſſimi) nemini aditus patere, niſi virtutis, fortitudinis, pietatis & honeſtatis præclara aliquot apud omnes haberet teſtimonia. *M. Neand. in præfat. Ariſtologiæ.*

Liberalitatis exercendæ.

PHILIPPUS Hiſpaniar. Rex Caroli V. F. Auguſti inſtar aliquando ludere viſus eſt, tantùm ut liberalitatis voluptate per- F frui poſſet. *Paſcaſius Iuſtus lib.* 1. *de Alea.*

Exercitii militaris.

Gladiatorii ludi inſtituti ſunt ad exercendam armis juventutem, ut juvenes ipſi (ſi quando res poſtularet) aſſueſcerent non expaveſcere congreſſum hoſtilem. *Alex. libro* 5. *cap.* 8.

Dignitatis.

Theatrales ludi apud Rom. non ſtati erant: ſed ut quiſque ad honores, aut ædilitatem, præturam vel conſulatum evectus erat, ad conciliandum populi favorem, maxima lætitia colebat & celebrabat, in quibus elephantorum & leonum pugnas, aliarumque belluarum venationes erant. *Alex. lib.* 6. *c.* 19.

Honorarii ludi dicebantur, qui ab iis, qui novum magiſtratum injiſſent, ad populi favorem conciliandum magnificis & propriis expenſis edebantur. *Ibid.*

Inſultationis.

CLEOMENES, Leonidæ F. Spartanorum Rex, populabundus fines Megalopolitanos ingreſſus, tum ingentem prædam congeſſit, tum magnam vaſtitatem edidit agri. Denique captis artificibus, qui ludicram artem faciebant, & veniebant ex G Meſſene, excitavit in hoſtico theatrum: exhibitiſque quadraginta minarum ſumptu in unum diem ludis, ſedit illic ad eos ſpectandos: non quòd duceretur eo ſpectaculo, ſed ut hoſtibus quaſi inſultaret, & quàm longè illis eſſet ſuperior, cumulatè illorum demonſtraret deſpicientia. Quando alioquin inter Græcorum & regum exercitus unus ille non mimos trahebat ſecum, non præſtigiatores, non ſaltatrices vel pſaltrias: ſed omni laſcivia, ſcurrilitate, inſolentia vacabat, quòd ferè exerceret ſe juventus, majores natu docerent eam: ludoſque, cùm otium eſſet, in ſolitis faceriis & feſtivis Laconiciſque inter ſe dictis ponerent. *Plut. in Cleomene.*

LOCI RATIONE HABITA.
LUDERE

In ſacris.

☞ *Conſule Tit. Ludi ſacri.*

In Caſtris. H

Caſtrenſes ludi, in caſtris Prætorianis: plerumque cum venatione dabantur, quorum meminit *Alex. ab Alex. lib.* 6. *cap.* 19.

TEMPORIS RATIONE. QUANDO.
LUDERE

In expeditionibus.

Arcades & Achæi etiam in caſtris ludos ſpectant. ☞ *Vide Tit. Spectaculorum quorumcumque ſtudium & amor.*

Hoſtibus irrumpentibus.

Carthaginem omnibus viribus Genſericus Vandalorum Rex tentavit, ratus, ſe urbe ea, quæ princeps provinciæ eſſet, in ditionem adducta, facilè inde tota Africa potiturum. Cùm autem mœnia aſſiduè à barbaris quaterentur, tamen, ut Victor inquit, Eccleſia Carthaginis inſaniebat in circis, luxuriabat in theatris: alii foris jugulabantur, alii intùs fornicabantur: pars plebis erat foris captiva hominum, pars intùs captiva vitiorum. Satis conſtat, urbem Genſericum dolo cepiſſe. Qua verò ratione capta ſit, hiſtoriæ non loquuntur. *Sigonius lib.* 12. *Imper. Occident.*

In

A In Calamitate.

Maximilian I. Imp. uxore ſibi deſponſata, ducis Franciſci Britanniæ filia, & ea rapta à Ludovico Rege Galliæ in itinere; quo die res illi eſt relata, fuit maximæ hilaritatis, & haſtiludia exercuit, ac ſi nihil adverſi accidiſſet. *Crantzius lib. 13. c. 16. Saxoniæ.*

In Morte.

Canius Julius philoſophus, jam cædendus, latrunculis intrepidè ludit. ☞ *Vide Tit. Mortis violentæ tolerantia ethica.*

Eventus respectu. Ex Ludo Provenit

Opulentia.

Acca Laurentia ex ludo æditui cum Hercule locupletata, Romanos hæredes reliquit. ☞ *Vide ſuprà, Cum Dæmonibus.*

B Bellum.

Petro Ziano Venetorum duce, ex leviſſima cauſa graviſſima cum Patavinis orta eſt diſcordia. Florebant tum longa pace Tarviſinorum opes: & quum ludis multaque laſcivia, ut fit in ſecundis rebus, civitas ipſa luxuriaretur: commenta dicitur ſuave ludicrum, ut caſtellum media urbe peregrinis pellibus, ac eiſdem valdè precioſis, purpureiſque ſtragulis murorum loco muniretur: ut ingenuæ virgines, quibus locum tuendum deſtinarant, pro galeis coronas aureas haberent, pro thoracibus, pro brachiorum tegmentis armillas, & ditiſſima monilia. Puellæ eleganti forma caſtellum præſidio tenerent: nobiliſſimi adoleſcentes virginibus æquales arcem oppugnarent: miſſilia quæ utrinque jacerent, poma eſſent, muſcatæ nuces, roſæ, lilia, aliique flores in pilarum ſpeciem conglobati: ſubiti ad hæc roſaceæ aquæ ejaculatus, variaque alia odoramentorum exquiſita genera. Is rerum apparatus multos, ut fit, mortales ſpectandi ſtudio Tarviſium traxerat. Venerant & Veneti non pauci, & ex Patavio ad id ſpectaculum invitati. Sed quum jam loci oppugnatio omnium oculos occupaſſet, eſſentque cunctorum animi intenti, qua parte primùm in caſtellum ipſum oppugnatores irrumperent: accidit, ut Venetorum juvenum globus, occupata repentè porta, jamjam ſigna eſſet illaturus.
C Quod ex Patavinis quidam, qui proximo loco & ipſi virgines oppugnabant, conſpicati, Venetis præſentem gloriam invidentes, facto in ſigniferum impetu, vexillum in quo D. Marci effigies erat, illi præreptum ignominioſè lacerarunt. Continuò ex injuria orta eſt rixa: fuiſſetque non ſine cæde ibidem dimicatum, niſi qui ludis præſidebant, confeſtim ſpectaculum edicto ſolviſſent. Diſceſſum eſt utrinque iratis animis. Patavini ſuæ culpæ conſcii (apparebat enim haud inultam ſe eam à Venetis injuriam laturos) Tarviſinis in ſocios aſſumptis, ſine ulla belli denunciatione primas partes occupant: Venetos fines ingreſſi, ſubitam inde prædam abduxere: reſque publico nomine repetitas non modò non reddunt, ſed Bebianam etiam turrim flumini impoſitam oppuguare incipiunt. Ad Bebias eſt pugnatum. Aquilejenſis antiſtitis interventu pax ſecura, his conditionibus, ut quinque & viginti illorum, à quibus Tarviſino ſpectaculo injuria orta erat, Venetias ad principem mitterentur: cui fas eſſet, eos quo vellet ſupplicio afficere. Eos poſtea traditos Venetus inviolatos dimiſit. *Sabell. lib. 8. Dec. 1.*

Cædes.

Cambyses Rex Perſar. leonis catulo duos canes immittit ludi cauſa. ☞ *Vide Tit. Perfidi erga fratres cum cæde.*

D * Apophtegmata.

Socrates cum luderet, ☞ *Vide ſupra, §. Cum pueris.*

Demonax. Senex quidam Roman. bene robuſto corpore, qui armatus ſeſe ad palum exercuerat, rogavit Demonactem, num magna vehementia videretur depugnaſſe? Nimirùm, inquit, adverſus hoſtem ligneum. Innuens, illum in vera pugna fore meticuloſum. *Eraſ. lib. 8. Apopht.*

C. Cæsar pila ludens cum Cæcilio, acceptis ab eo quinquaginta ſeſtertiis, cùm colluſoribus aliis centum dediſſet: Quid, inquit, num ego una tantùm manu luſi? *Bruſ. l. 3. c. 18.*

Caligula, alea ludens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur, & quodam tempore proximo luſori ſibi demandata vice ſua, progreſſus in atrium domus, dum prætereuntes duos Equites Rom. & opulentos, ſine mora corripi confiſcarique juſſiſſet, exultabundus in domum rediit, gloriabaturque ſe nunquam proſperiore alea uſum. *Eraſm. lib. 6. Apophth.*

☞ *Quædam ex Loco de Iocis, Saltatione, &c. huc poterunt referri.*

E

* Lumen. Lux.

Definitio et Etymologia.

Lumen Græcè φῶς, definitur ab *Ariſtotele*, eſſe actus perſpicui ut eſt perſpicuum, id eſt, quo formaliter perſpicuum conſtituitur actu tale, ſive illuſtratum. Eſt enim lumen quaſi color: ut enim perſpicuum videatur, neceſſarium eſt lumen, ſicuti color requiritur, ut videantur colorata.

Lumen eſt actus quidam lucidi corporis ad extrema procedens, & ipſum lumen talibus corporibus inſitum, quæ primò talia ſunt, eſt eſſentia ſecundum ſpeciem corporis primò lucidi. *Dionyſ. de divin. nominibus.*

Lumen ubicunque ſit, eſt actus diaphani; in corpore luminoſo, eſt actus tanquam forma, & qualitas ejus propria; in diaphano non luminoſo naturaliter lumen intromittitur, non tanquam hujus forma, vel paſſio vera, ſed quaſi paſſio. *Priſ. in Theod. cap. 18.*

Lumen non eſt corpus, cùm repentè totum impleat orbem, ſine ulla offenſione aeris & aquæ corpus penetret, & ſordibus F immixtum non inficiatur, quæ corporum naturæ non conveniunt. *Plato.*

Lumen eſt actus, perfectio rei perlucidæ, quæ ex parte perlucida eſt. Lumen quaſi color eſt naturæ translucidæ, *lib. 7. de anim. c.... T. 69.*

ERRORES CIRCA SUBSTANTIAM Lucis.

Fuit quorumdam opinio, quòd lux ſit forma ſubſtantialis corporum lucentium. Hos refert *S. Thom. 1. p. q. 67. art. 3.*

Empedocles docuit, lumen eſſe corpus, ut refert *Ariſt. 2. de an. c. 7.* ex eo quòd radii dicantur refrangi & reflecti.

Itaque, lux eſt forma dumtaxat accidentaria, ſive qualitas, à qua corpus luminoſum formaliter lucet. Quòd autem illius radii dicantur refrangi aut reflecti, per translationem dicitur, ducta ſimilitudine à corporibus, quæ ob aliquod impedimentum impediuntur à progreſſu.

Quando coeperit.

In Geneſi & creatione mundi, ante omnia Lucem creatam docet Scriptura. Cœlo enim & terra & abyſſo creatis primo G illo die, decrevit, voluitque efficaciter Deus lucem fieri, tanquam qualitatem nobiliſſimam, efficaciſſimam, ſine qua omnia creata manſiſſent inviſibilia. Erat autem ea lux primo die creata corpus lucidum, ſive potiùs lucida pars abyſſi, quæ in circuli ſpecie orbi præfulſit, fuitque inſtar materiæ, ex qua poſtmodum diſtincta fuere, & velut fabricata Sol, Luna, Aſtra. Hinc *S. Thom.* ait, hanc lucem fuiſſe ipſum ſolem adhuc informem & imperfectum.

Quis Tum Illius Usus.

Corpus hoc lucidum primo mundi triduo, hoc eſt priuſquam Sol quarto die crearetur, ab Angelo movebatur ab Oriente in Occidentem: & 24. horis univerſum cœli hemiſphærium circumſcribebat, illudque triduum diſtinguebat motu ſuo, eo modo quo poſtmodum fecit ſol, qui tempora, dies, & annos in dies deſcribit.

Encomia Lucis.

Varia lucis encomia referuntur apud Eccleſiaſticos ſcriptores. Certè *Dion. de Cœl. Hierarch. c. 16.* enumerat 36. ignis proprietates, quas Luci accommodare nullo negotio poſſumus. H

Primum igitur Lucis encomium eſt, quòd inter qualitates ſenſui obnoxias nulla ad mundi decorem & ornatum aptior ſit: quandoquidem infera, ſuperaque omnia, quaſi aureæ cujuſdam veſtis ſplendore circumfundit, & ubique diſtinctionem ac varietatem rerum commonſtrat, atque in mixtis corporibus alioqui abſconditam multiplicium colorum picturam ſuæ præſentiæ nitore oſtendit. Unde *Hugo de S. Victore*: Quid pulchrius luce, quæ cum in ſe colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipſa quodammodo colorat? Itaque abſque luce jacent cuncta, veluti ſitu & ſqualore obſita; per eam verò omnium pulchritudo confeſtim apparet. Quò pertinet illud *ex 4. lib. Eſdræ, c. 6.* Tunc dixiſti de theſauris tuis proferri lumen luminoſum, quo appareret opus tuum.

Secundum encomium eſt, quòd lucis miniſterio exiſtit dierum & noctium viciſſitudo: quæ ad diſtinguenda tempora labori & quieti idonea, & ad rerum per ſucceſſionem frigoris & caloris incolumitatem conſervationemque, & item ad communis vitæ faſtidium levandum magnoperè conducit. Quod Eccleſia in ſuo hymno ita decantat:

A *Æterne rerum conditor,*
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora
Vt alleves faſtidium.

Tertium eſt, mira lucis fœcunditas & beneficentia. Namque in omnes partes ſe effuſè communicat, & eſt præcipuum inſtrumentum, quo cœleſtia corpora in inferiora influunt. Ob quam cauſam *D. Ambroſius lib. 1. Hexam. cap. 9.* ſcripſit, lucis naturam non in numero, non in menſura, non in pondere eſſe, ut res cæteras à Deo creatas. Quod tamen *D. Thom. 1. part. quæſt. 5. & in 1. ſent. diſt. 3. q. 2. art. 4. ad 4.* ait, non ſimpliciter intelligendum eſſe, cùm lux finitam habeat eſſentiam & poteſtatem, ſed facta comparatione ad res materia conſtantes, ad quas omnes virtus lucis indiſcriminatim extenditur.

Quartum eſt, quòd lux in totam ſuam ſphæram incredibili celeritate, id eſt, momentanea actione ſeſe explicat: ut affirmat *D. Ambroſ. lib. 1. Hexam. c. 9. D. Baſil. hom. 2. Hexam. Ariſtot. lib. 3. de Anima, c. 9. text. 70.* aliique auctores communi conſenſu, contra Empedoclem, quem *Ariſt. loco cit.* B refellit.

Quintum eſt, quòd lux animantium corporibus vigorem addidit, dum vitales ſpiritus calore vivifico reficit.

Unde & qui ægro ſunt corpore, plerumque meliùs interdiu quàm noctu habent, ac non pauci apparente Vere, Soleque ad nos redeunte, ex hybernis morbis convaleſcunt. Huc pertinet, quod *Dionyſius in lib. de divinis nom. c. 4.* docet, lùcem movere ad vitam, nutrire, augere, perficere, purgare, renovare.

Sextum eſt, quòd lux ob ſuam pulchritudinem, commoditatem, beneficentiam, aliaſque ejuſmodi affectiones, non parùm ad res divinas explicandas & intelligendas confert: ut teſtantur ductæ ab ea ſimilitudines, quæ tum in ſacrarum litterarum monumentis, tum in Patrum ſcriptis frequenter inveniuntur.

Hæc de lucis præconiis hoc loco dixiſſe ſatis ſit. *Conſule D. Dionyſ. 4. cap. de div. nom. & c. 15. de cœl. Hier*, ubi ultra triginta Lucis proprietates enumerantur.

C

* DE LUMINE ARTIFICIALI, ſive de Instrumentis.

Varia luminum inſtrumenta reperimus apud veteres, quorum uſus quoque ad nos tranſivit. Suntque lucerna, candela, lampas, cereus, fax, laterna, funale, & ſimilis generis alia: quorum etymon videatur apud *Iſidor. lib. 20. c. 10.*

De Lucerna proprium Titulum ſupra dedimus. Aliorum uſus notiſſimus, nempè in cubiculis, palatiis, templis, funerum deductione, triumphis, nuptiis, inauguratione Principum, & mille ut ſic dicam aliis in rebus, & occaſionibus. Quin & luxus in iiſdem quæritur, & pompa. Unde *Iuvenal. Sat. 3.* dicit, divites magna cum pompa & luminibus multis deduci:

— canet hunc quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo,
Multum præterea flammarum, atque ænea lampas,
Me, quem luna ſolet deducere, vel breve lumen
Candelæ, &c.

De Domitiano Imp. legimus, quòd venationes ad lychnuchos de nocte, & gladiatores exhibuerit.

D

Honor Luminis.

Apud Germanos uſu receptum, ut cùm primùm in triclinium aut epulum candela ſive lumen infertur, omnes ſibi invicem veſperum ſalutarem apprecentur, & æternam ſibi lucem vocant: quomodo Græcè dicere ſolebant φῶς ἀγαθόν. Qui mos apud Belgas etiam invaluit, ut cum eo voto reverentiam quaſi lumini exhibeant, quæ in luminum Patrem derivetur. De Græcis ſcribit *Cælius lib. 15. cap. 15.* eos verba paulò ante recitata pronuntiare ad primam luminis illationem, quaſi lumen bonum apprecentur.

Angli Deum & S. Stephanum illatis primùm luminaribus epularibus invocare conſueverunt. Refert *Gul. Stuckius in q. Convivial. lib. 3. cap. 24.*

Romani à cœna redeuntes, lumina extinguebant, ne voluptatibus viderentur immodicè indulgere. Imò *Plutarch.* teſtatur, eos non fuiſſe ſolitos lucernas aut candelas extinguere, ſed ultrò conſumi permittere. Inter alias rationes hanc reddit, quòd lucernam venerarentur, tanquam cognatam & germanam ignis perennis & inextinguibilis. *Vide eundem lib. 7. Sympoſ. Problem. 4.* E

* INSTRUMENTA LUCIS NATURALIA.

Vtpotè, Res variæ ſcintillantes, aut lucentes. Sic videmus lucem diffundi à Gemmis.

Familiare Gemmarum Epitheton eſt, quòd ſint lucidæ & fulgentes ac radiantes, ut videre eſt apud *Ovid. in epiſt. ad Val. Flaccum lib. 5. Mantuanum, & alios.* Et quamvis omni gemmarum generi lux quædam ineſſe videatur, tamen præ aliis eminet Carbunculus, quem ἀνθράξιν Græci vocant, ab igneo ſplendore, qui tantus eſt, ut etiam media nocte lumen diffundat. Alii Pyropum nominant, à πῦρ, quod ignem ſignificat: unde *Ovid. 2. Metam. Flammaſque imitante Pyropo.*

Refert *Ludovicus Vartomanus* Romanus, Regem Pege, quæ Provincia eſt Indiæ, tantæ magnitudinis & ſplendoris habere Pyropos, ut ſi quis eum in tenebris conſpicetur, haud aliter eum videat, quàm ſi Solaribus radiis illuſtraretur.

Vix mille paſſibus à Lovanio eſt monaſterium Regularium, Heverleam vocant; in cujus principe ara olim fuiſſe perhibetur Carbunculus tanti fulgoris, ut ipſam noctem repelleret, lumenque legentibus præberet.

Etiam Chryſolithus aureo colore tranſlucet, & rutilat, juxta nominis etymon. De Smaragdo conſtat tanti ſplendoris eſſe, ut intuentium oculos perſtringat, aeremque vicinum inficiat. Quin Neronem Imp. ferunt gladiatorum pugnas Smaragdo tanquam ſpeculo ſpectaſſe; Ideoque Neronis gemmam vocatam. *And. Bacius de Gemmis.* F

Animalibus.

Eſt in inſula Spaigniola, ſeu S. Dominici, animal inſecti generis, Cucium Incolæ appellant, articulum digiti quantitate vix æquans, & alas quatuor habens, quod ita de nocte lucet, ut volantibus radii ſcintillantes circumpoſiti appareant: hinc inſtar facis in tenebris præferuntur, ejuſque luminis beneficio fas eſt cuivis nocte media legere aut ſcribere, ſine alterius lucis ope. *Abrah. Ortelius in Theat. Orbis Terrar. ad Tab. Spaigniolæ.*

Apud nos quoque Cicindelæ & Lampyrides in tenebris lucere deprehenduntur; quod etiam in nonnullis ſerpentibus alii obſervarunt. *Vid. Plin. l. 11. c. 28. Nat. hiſt. Vinc. nat. hiſt. lib. 20. c. 16.*

Rebus Aliis.

Experientia conſtat, plura eſſe, quæ lumen aliquod in tenebris emittunt. In veteribus arborum truncis levigatis, & calore Solis dudum exſiccatis, res notiſſima eſt, inter tenebras G ſplendeſcere. Inſuper in oſſibus pleriſque animalium idem animadverſum. Alii cuidam Gramini id etiam adſcribunt: Cujus rei cauſam require apud *Phyſicos in lib. de Anima.*

---

* Luna.

Quando creata. et cur?

Creavit omnium opifex Deus die quarto duo Luminaria magna, videlicet Solem, & Lunam. Idque partem illam cœli lucidam, quæ die primo creata eſt, condenſando, aliamque rarefaciendo, atque in eam ita condenſatam, expulſa cœlorum forma, novam formam Solis & Lunæ ac ſtellarum introduxit: quomodo die ſecundo ex aquis fecerat firmamentum.

Lunam autem creavit, ut præeſſet nocti. Creata verò fuit oppoſita Soli in principio Libræ, ut exiſtimant DD. ſic ut Sol unum, Luna aliud hemiſphærium illuminaret; adeòque in Plenilunio.

Quantitas. Motus. H

Quamvis Luna appelletur Luminare majus, ſive inter luminaria magna, nihilominùs ceteris ſtellis, Mercurio excepto, eſt minor; quia verò terræ maximè vicina, reliquis apparet major. *Chriſt. Clavius in ſphæra* ſcribit *c. 1.* Terram in ſe continere Lunæ magnitudinem trigeſies novies, ſic ut Luna dumtaxat eſſet xxxix. pars Terræ. Abſolvit autem curſum ſuum ſive gyrum diebus 28. & ad Solem, unde diſceſſerat, redit. Unde & Menſem, Annum Lunarem appellant Græci.

Lumen.

Lunam parùm admodùm luminis de ſe habere conſtat, unde pars illa quæ à Sole non illuminatur, obſcurior apparet; quod & in Eclypſi apparet: videtur quoque in Luna macula, ſive pars reliquis denſior, vel minùs lucida. De qua mira fabulati reperiuntur veteres, quamvis communiter exiſtimetur pars illa eſſe rarior, quæ minùs apparet illuminata, cùm faciliùs lumen traiiciat, minùſque reflectat. Igitur omnem ſplendorem à Sole, cui opponitur, Luna accipit; idque ſecundum eam partem, qua illi oppoſitus exiſtit.

Ecly-

A ECLYPSIS.

☞ *Pete ex Loco de Eclypſi.*

QUALITATES. VIRES. EFFECTUS.

Luna quam minorem Solem vocat *Ariſtoteles*, ſicut terræ eſt vicinior, ita majori effectuum varietate vim ſuam prodit. Siquidem humida eſt, & animantium corporibus humiditatem præſtat, ac veluti pabulum nativo calori ſubminiſtrat.

Ejus impulſu æſtus maris reciprocatur.

Oſtreæ, conchilia, conchæ cum ea ſumunt incrementum, vel decrementum, auctore *Plin. lib.2. nat. hiſt. c.41.* Qui addit, ejus numero reſpondere ſoricum fibras: & formicam nono ab illius coitu die, quem ſibi novit adverſum, nunquam latebris exire.

De lapide Selevite referunt, quòd imaginem Lunæ contineat, eamque reddat in dies creſcentis minuentiſque numero.

Ferunt etiam, Lunam Pituitæ incrementum facere: & dicitur ab Aſtronomis præeſſe infantiæ & argento.

In Plantis quoque & ſeminibus in terram jaciendis, tranſplantandis, putandis, miras & magnas mutationes, teſte experientia, B cauſat Luna, ſive conjuncta Soli, ſive ab eo diſiuncta: eam accuratè obſervant, qui hortis excolendis, agriſque, & arborum culturæ incumbunt.

His adde mutationes in corporibus humanis à Luna productas: ut cujus etiam convinctionem & oppoſitionem Medici conſiderant.

PROGNOSTICA.

Solent ex quinto die à Novilunio aut Plenilunio accipere judicium de reliqua medietate Lunæ, puta, an ſerena futura, an inſerena.

Luna autem, ſi tertio à conjunctione die, aut in ipſa quadratura, tenui puraque luce effulſerit, ſtabilem ſerenitatem ſpondet. Secùs ſi obſcurior & nigra fuerit. *Virgil. lib.1. Georgic.* ita canit:

At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento ſemper rubet aurea Phœbe.

Proverbio locum fecit verſus communiter jactatus:

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.

Obſervant nonnulli & areas, quæ aliquando Lunam circumdant, C nam ſi una fuerit & pura, ac paulatim marceſcens evanuerit, ſerenitatem: ſi duæ aut tres, hyemem: denique ſi plures & majores areæ fuerint, aſperiores ventos portendunt.

Lupanaria.

☞ *Vide locum de* Libidine *in initio. Tit. Magiſtri Libidinis, Scortationis, Lupanaria inſtituta, &c.*

---

* Lupus.

UBI.

LUpi nulli in Anglia, excifis omnibus venatione, ut *Polydorus* memorat. In Scotia tamen, & Norvegia abundantiores. ☞ *Vide in tractatu de Loco. Tit. Greſſilium ferarum loca, §. Lupi.*

In Hybernia quoque multos lupos reperiri, auctor eſt D *Vener. Beda.*

NATURA, VAFRICIES.

Notiſſima & aſtuta fera eſt Lupus, de quo Poeta:

Triſte lupus ſtabulis.

Eſt tanta equo antipathia cum lupo, ut obſtupeſcat, & crura etiam in medio curſu ei torpeant, ſi vel veſtigia lupi calcaverit. Imò equam ferunt abortum pati, ſi lupum calcet: narrat ex *Pamphilo Bapt. Porta. Pierius* ſcribit, Lupum magis perhorreſcere ictus lapidum, quàm gladium aut fuſtem. Sunt, qui ſolo ſtrepitu lapidum eos abegerint. Ridiculum eſt quod nonnulli volunt, amittere vocem eum quem lupus primùm aſpexerit.

CAPTURA DECRETA.

Noxium hoc animal penè ubivis locorum inviſum eſt, nam & integros greges depaſcitur exiguo ſpatio, & in homines quoque & armenta ſævit. In Gallia pro ſingulis captis lupis, ex publico ſolvuntur ſolidi viginti, præter publicam erogationem, quam plebs ſua ſponte venatoribus ſolet impendere.

Hinc regia illa reſcripta emanaſſe cenſet *Claud. Mallivilleus in ſuis regiis aquarum & ſylvarum conſtitutionibus, c.11.* E

Etiam in Belgio præmia decreta ſunt illorum capturæ.

Hyberni tamen ſylveſtres lupos in patrinos adſciſcunt, & pro eis orant, ne ab eis lædantur, ut ex *Beda* ſcribit *Camerar. horar. ſucciſ. centur.* 1. eoſque vocant Charichriſt.

Ita veteres Idololatræ Vejonis Idolum reverebantur, non ut juvaret, ſed ne noceret.

* QUID DE LYCANTHROPIS

SENSERINT VETERES.

Veteres Poetæ & Philoſophi nonnulli ſentiebant, virtute magica perfectam transformationem fieri poſſe unius perfectæ ſpeciei in aliam etiam perfectam, hominis ſcil. in lupum, aut aliud animal. *Ovid.* ita ſcribit:

Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et ſua nocturno fallere terga lupo.

Et iterum *Lib.7. Metamorph.*

Inque virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui profecta Lupi.

Exempla verò plurima illorum, qui in lupos mutati, lupinam rabiem exercuerunt, obvia ſunt, & quotidiana. Et refert F *Herodotus*, apud Neurios Scythiæ populos lycanthropos frequentes eſſe, multùmque nocere.

VERA SENTENTIA.

Sed Philoſophorum & Theologorum principiis conformis eſt ſententia, quæ docet, hanc hominis in belluam degenerationem illuſoriam eſſe; neque enim anima hominis poteſt informare corpus beſtiæ, uti nec è converſo, cùm quælibet forma ſubſtantialis, ut eſſe ſuum tribuat informando, requirat peculiares, ſibique convenientes diſpoſitiones, ac organizationem propriam; unde dixerim, illos qui contrarium errorem amplectuntur, eo modo tranſmutari dici poſſe in aſinos, quo alii in lupos, urſos, vel aliud hujuſmodi.

Itaque illuſio ſemper intervenit, ut tranſmutatos ſe putent, vel ab aliis videantur tales, & effectus varii ſequantur, v.g. ſtrages illatæ hominibus, vel pecoribus per homines lupina tectos effigie, vel etiam non tectos, ſed humana ſpecie graſſantes.

Nota eſt apud Medicos λικάονα, ſive λυκανθρωπία, morbi ſpecies, quam Latini Melancholiam, ſive inſaniam lupinam vocant, qua nonnulli ſe canes, equos, lupos arbitrantur. De G quo videatur *Paul. Ægineta lib.3. c.16. & Aetius lib.6. c.10.* Et de talibus ſæpè intelligendæ ſunt hiſtoriæ. Poteſt namque evenire, ut ex humorum vitio atræque bilis exceſſu, effectus & affectus quidam lupini, ac odium in greges atque homines, eoſque invadendi oriatur deſiderium.

Talis erat ille pater Præſtantii apud *S. Auguſtin. lib.18. de Civ. c.18.* citatum à P. *Martino del Rio*, & alius apud *Thom. Cantipr. in lib. Apum*, & agricola Patavinus, cujus meminit *Fincelius lib.2. de miraculis.* Omnes enim hi non aliis, ſed ſibi lupi videbantur.

Narrat *Georg. Sabinus in Comment. ſuo ad Metamorphoſ. Ovid.* quòd ſuo tempore duci Pruſſiæ adductus fuerit Lycanthropus, ab illis quorum jumenta ille devoraverat. Erat homo deformis, habebatque cicatrices in facie ex vulneribus à canibus, ut dicebat, acceptis. Examinatus autem, referebat ſe bis per annum in lupum mutari, ſeque tum impetu quodam naturæ agi in homines & beſtias. Affirmanti fides habita, deten- H tuſque in arce fuit, & à cuſtodibus obſervatus circa tempus quod edixerat, an in lupum transformaretur; at nihil ſimile evenit, ac fabulæ loco res habita fuit.

Cæterùm præter morbum illum naturalem, conſtat, Dæmonem poſſe corpus lupi ex aere formare, illudque vel ſibi ipſi, vel aliis circumponere, & in eo apparere, membra ſingulis membris coaptando: quod ſolet plerumque iis evenire, qui certo ad hoc pacto cum eo inito conſtringuntur, & inunctionibus ad hæc, aut determinata formula verborum utuntur.

De aſſumpto corpore lupino ab ipſo Dæmone, multiſque in eo patratis ſub perſona cujuſquam abſentis, refert inſignem hiſtoriam *Guil. Pariſienſis, c.13. p. ult.*

De inunctionibus adhibitis ſunt exempla in Actis judiciariis Dolanis, ubi ſimiles Lycanthropi deprehenſi. Item talis erat ille apud ducem Pruſſiæ à Canibus laceratus: & in Bulgaria quidam Bajanus. De quibus *Sigebertus in chronico.* Tales enim luporum veſtigia relinquunt terræ impreſſa, & ſauciantur illis membris humanis, quæ vellere ferino contecta ictum exceperunt.

Annus

A Annus agitur decimus, ſcribit *Delrio l.2. diſquiſ. magic. qu.18.* cum Begburgi (oppidum eſt Ubiorum) ſupplicio affectus fuit quidam Stumfius Petrus, eò quòd cum Dæmone ſuccuba plus quàm luſtris quatuor conſueviſſet. Ab hac donatus fuit lata quadam zona, qua cum cingebatur, & ſibi, & aliis lupus videbatur. Hoc ſchemate xv. pueros jugularat, eorumque cerebrum voraverat. Idem tentaverat circa nurus ſuas. Conſtantque hæc omnia ex actis Judiciariis, & iconibus in æs inciſis, palamque venalibus. Qui plura volet, legat *P. Thyræum c.2. de apparit. Spirit. n.15. & ſeq.* & qui ex illo Dialogum ſuum de Lycantropia digeſſit, *Fr. Claudium Priorem.* Reperiuntur etiam nonnulla apud *Camerarium in operib. ſucciſ. Cent.1. c.71.*

QUORUM SYMBOLUM SINT LUPI.
ET PROPRIETATES.

CHRISTUS nos monet attendere, hoc eſt ſedulò, & ſeriò cavere à falſis Prophetis, qui veniunt, nempè à ſeipſis miſſi, nec ullum ſuæ miſſionis teſtimonium habent ad nos, in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt Lupi rapaces. *Matth.7.*

B Etiam Apoſtolus Paulus, Mileti cohortatus majores natu Eccleſiæ, quos Epheſo advocaverat, dicebat: Ego ſcio, nempè per divinam revelationem, quòd intrabunt, nempè ſe ingerendo, cum neque mittendi ſint, neque ab ullo juriſdictionem accepturi, poſt diſceſſionem meam Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

Sunt autem hi Lupi, quorum meminit Scriptura in generali, ſymbolum omnium hoſtium Eccleſiæ, quo ſenſu accipi debet illud Domini, Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Matth. c.10.* hoc eſt, inermes, innocentes inter eos qui Euangelicæ prædicationi reſiſtent. Iterum illud, quando mercenarium deſcribens dicit, eum fugere, quando videt lupum venientem. *Joan.10.* Ita Gregorius amplè eſt interpretatus lupi ſuper oves adventum.

Particulariùs nihilominùs ſymbolum lupi gerunt Hæreticorum, qui crudeliùs ſæviunt, quàm alii infideles. Exempla vetera Arrianorum, aliorumque recentiora in Galliis, Anglia, & Belgio, ad manum ſunt hæreticæ lanienæ. Luporum nomine hæreticos paſſim appellant omnes Patres, è quibus *S. Ambroſius*, Luporum proprietates hæreticis accommodat, C nempè, quòd adimat vocem ei quem prior videt, quòd caſas & caulas ovium intrare non audeat, ſomnum canum, & abſentiam paſtoris exploret, ovium guttur invadat, ut ſtrangulet, ferus ſit, rapax, corpore rigidus, nec facilis inflecti; impetu irruat, nocturno plus, quàm diurno tempore inſidietur. *Lib.7. in cap.10. Lucæ.*

---

* Luſtratio, ſive Purgatio.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LUſtratio idem quod καθαρμός. *Feſtus* vocat luſtrationem qua quid ſolvitur ac liberatur. Et *Perottus* luſtrare deducit à luendo, hoc eſt ſolvendo. Eſt namque luſtratio etiam expiatio. Unde luſtrici dies erant, in pueris nonus, in puellis octavus, quibus luſtrabantur, & nomina imponebantur. Deinde ſolemnis illa ablutio quæ ſacrificiis præmittebatur, dicebatur luſtratio.

D QUÆ PRÆCEPTA IN LEGE VETERI
APUD JUDÆOS.

Præcepit per Moyſen Deus, in veteri populo fieri aquam luſtrationis, ſive expiationis, quæ etiam aqua immunditiæ, nempè quòd ab immunditia legali per eam purgarentur, appellatur, quippè conſecrabatur vario ritu, per impoſitionem cineres vaccæ rufæ, in hydriam aquæ puræ. Solebantque bi cineris mitti ad ſingula oppida, nam vacca illa rufa immolabatur tantùm Jeroſolymis; idque ut ſinguli contracta immunditia, purificationem ad manum haberent.

Qui autem ob contactum cadaveris immundi cenſebantur aſpergebantur ex eadem aqua tertio, & ſeptimo die; totidem enim erant immundi, ut conſtat *verſ.11. cap.19. Num.* Erant interim plures Judæorum purgationes, nempè Leproſorum, Seminifluorum, Levitarum, & Sacerdotum, &c.

CUJUS REI TYPUS.

Erat aqua illa luſtrationis typus aquæ noſtræ luſtralis, quam Aquam benedictam appellamus, qua utimur ad expiationem peccatorum venialium. Nam ut rectè colligit Alexander I. Pontifex, qui fuit VI. à S. Petro, ad omnes ortho-

doxos ſcribens: Si cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, E atque mundabat; quantò magis aqua, quæ ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata eſt, populum ſanctificat, atque emundat? ☞ *Vide plura Tit. de Aqua benedicta.*

APUD GENTILES.

Similem luſtrationem Gentiles imitati fuere, quotquot enim in funere, comburendoque cadavere ad rogum ſpectabant, dum funeri finis imponeretur, non ante diſcedebant, quam ter aqua luſtrarentur, propter contractam à funere pollutionem. Docet id *Virgil. 6. Æneid. in funere Miſeni.*

Oſſaque lecta cado texit Corincus aheno,
Idem ter ſocios pura circumtulit unda.
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Ubi & aſpergilli meminit, quod è rore marino, & oliva conſtabat. Si autem piaculo aliquo polluti exiſterent, ſulphure, aqua, ovo, & lauro purificabantur. Meminit *Ovidius*:

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Pueri in cunis luſtrabantur ſaliva, quæ ideò luſtralis vocabatur. Ita *Perſius Sat.*

Ecce avia, aut metuens Divum matertera, cuius F
Exemit puerum, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

☞ *Conſule Tit. de Funere, §. Conclamatio, Luſtratio.*

Erat apud eoſdem in uſu Luſtratio nubentium, quæ vocabantur Nuptiales Luſtrationes, de quibus ☞ *Videatur Locus de Nuptiis. Tit. Nuptiæ in particulari conſideratæ, § Luſtratio. Item ſimili §. ibidem, Tit. Sacrum.*

LUSTRALIA SABRA.

☞ *Quære in loco Ethnicorum, & Sacrificiorum, §. Explatoria, Luſtralia.*

---

* Lutherani.

QUI HOC TITULO DECORENTUR.

LUtherani ſunt hæretici, à Martino Luthero Iſlebienſi, G Monacho Auguſtiniano excucullato, appellationem & infamiam ſortiti. De quo auctore nonnulla diximus in *Loco de Hæreticis. Tit. Hæreticorum elenchus, §. ſæculi 15. Martin. Lutherus.* Scripſit ejus acta, 1. *Cochleus.* Ab hoc autem omnium noſtri ævi hæreſum fons exortus, univerſum orbem infecit, ita ut è filio S. Auguſtini, cujus Eremiticum inſtitutum fuerat profeſſus, & qui acerrimus hæreticorum hoſtis extitit, factus ſit Hæreſiarcharum princeps, circa annum Dom. 1518. Maximiliano Imper. & Leone X. Pontifice.

Errores ejus varii ſunt, ſummatim à nobis aſſerti *Loco de Hæreticis & Hæreſibus, ſub fin.* ubi docetur, hæreſes novas veteres velut reducere, & renovare, ac univerſum Eccleſiæ corpus occupare. Imò tot ſunt Lutheranæ impietatis impia dogmata, ut numerum vix valeas definire. Ipſe autem, ut quod verbo docebat, opere compleret, monialem è cœnobio ſeductam matrimonio ſibi junxit, & ex ea aliquot ſuſcepit filios; cumque hac laude non inferiores ſecuti mox fuere Jo. Oecolampadius, Martinus Bucerus, & infiniti Sacerdotes & Monachi. Certè *Joachimus Camerar.* teſte *Stolzio*, facit Lutherum om- H nium ærumnarum, quibus cum Reſpublica conflictatur, cauſam & fomitem. Tanto autem in Rom. Pontificem odio exarſit, poſtquam ab eo excommunicatus, & hæreticus fuerat declaratus, ut vivo ſibi hoc Epitaphium, Pomerano ejus rei finem faciente, compoſuerit:

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua Papa.

Eraſmus Roterodamus illi contemporaneus ſcribit, eum nulla maledicentia ſaturabilem fuiſſe, Oreſte inſaniorem, veratro dignum, ut ſaniora ſcribat, & habendum, ait, non diabolum incarnatum, hoc nomen Eraſmo dederat, ſed hominem odio lymphatum.

Belli iſtius cruenti, quod Ruſticorum Germani vocant, quo ſcilicet adverſus Nobiles inſurrexerunt Ruſtici, & ſupra centum millia perierunt, fax & incentor fuit, multaſque ſeditiones movit. ☞ *Vide Loca ſuperius annotata*, & qui plura de hoc Pſeudopropheta in particulari deſideraverit, conſulat *Elenchum Hæreticorum Gabriel. Prateoli.*

☞ *Videat Lector locum de Iubilæo, & in illo pleraque huius apoſtatæ lineamenta ſuis coloribus depicta. Item Seriem, & ſtemma, in loco de Hæreticis, in fine.*